DE

FLAVII JOSEPHI

IN AUCTORIBUS CONTRA APIONEM AFFERENDIS

FIDE ET AUCTORITATE

DISQUISITIONEM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

P. M. CRUICE,

LICENTIATUS.

PARISIIS,

EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES,

VIA DICTA JACOB, 56.

1844.

atque metus erat ne pœnas pro impudentia penderet, Bacchum in βατράχοις opportune recordatus, novum ipse quoque Xanthiam invenit qui alieno pro crimine vapularet.

Hæc sum præfatus ut omnes prævideant quam causam in jus vocare instituerim, et jam appareat in quo operum ordine ponere censuerim, quos jam excutiendos proposui, libros Josephi vulgo *contra Apionem* inscriptos. Cum jam multi de Flavii auctoritate exstarent commentarii, nulli autem de fide ejus in auctoribus citandis, ad quæstionem hanc movendam tractandamque, animum appuli.

II.

Quo tempore et qua ratione librum contra Apionem scripserit Flavius Josephus.

Ut a primis initium, auctore Aristotele (1), faciamus, libri titulus qui vulgo *contra Apionem* inscribitur, videtur librariorum vitio et interpretum ignorantia fuisse corruptus, quoniam apud veteres ita ferebatur inscriptus : περὶ τῆς τῶν Ἰουδαίων ἀρχαιότητος ; qui titulus materiæ libri magis est accommodatus; nam, cum nequaquam in primo hujus operis libro de Apione agatur, non video quamobrem Adversus eum integra Josephi disputatio inscriberetur; quamquam fatendum est, quæ scripta in Judæos Apion edidit et item quos habuit Romæ sermones,

(1) Ἀρξάμενοι, κατὰ φύσιν, πρῶτον ἀπὸ τῶν πρώτων. Poet. lib. I. c. 1.

AUGUSTO ÆMILIO EGGER

IN SCHOLA NORMALI PROFESSORI

ET IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI PROFESSORI VICARIO

STUDIORUM MEORUM FAUTORI

BENEVOLENTISSIMO, CARISSIMO

HANC OPELLAM QUALEMCUNQUE

DICO ATQUE OFFERO

P. M. CRUICE.

νόμους βλασφημίας δοῦναι δίκην Ἀπίων τὴν πρέπουσαν. Περιετμήθη γὰρ ἐξ ἀνάγκης... καὶ μηδὲν ὠφεληθεὶς ὑπὸ τῆς περιτομῆς, ἀλλὰ σηπόμενος, ἐν δειναῖς ὀδύναις ἀπέθανεν. « Jure mihi videtur Apio ob maledicta in patriæ « suæ leges pœnas dedisse, quas commeruit. Nam ex « necessitate circumcisus erat, et cum nihil ei pro- « fuisset circumcisio, sed putresceret, magnis dolori- « bus expiravit (1). »

Nec Josephus extemplo post mortuum Apionem contra eum disseruit, nec, dum in Galilæa commorabatur, postea vero cum Romæ agens summosque honores adeptus, Domitiani favorem captaret, hanc dissertationem edidit; hos enim libros de antiquitate Judæorum Épaphrodito suo κρατίστῳ et τιμιωτάτῳ nuncupavit, unde ante annum Christi xcv editos fuisse apparet, quo Epaphroditum Domitianus interfecit. Cumque Josephus in Memoria rerum suarum ad eumdem Epaphroditum composita, omnes vitæ suæ eventus prosequatur usque ad annum nonagesimum et tamen de libris in Apionem taceat, hinc concludi potest hos libros intra nonagesimum et nonagesimum quintum annum in lucem prodiisse.

Jam habemus callidum et emunctæ naris hominem. Etenim hanc fallaciam astute struit, cum Græcorum scriptorum placita, quæ Judæis iniqua erant, sinat præterfluere et dissertationem interim paret quæ, post mortem Apionis cæterorumque, subito in lucem prodeat; tum Phœnices auctores Chaldæosque adducet; tum indoctis et ore patulis hominibus multa et præclara testimonia exponet. Me-

(1) Flav. Jos. Op. t. II. p. 480. ed. Havercamp.

AUGUSTO ÆMILIO EGGER

IN SCHOLA NORMALI PROFESSORI

ET IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI PROFESSORI VICARIO

STUDIORUM MEORUM FAUTORI

BENEVOLENTISSIMO, CARISSIMO

HANC OPELLAM QUALEMCUNQUE

DICO ATQUE OFFERO

P. M. CRUICE.

DE FIDE

ET

AUCTORITATE JOSEPHI

IN AUCTORIBUS

CONTRA APIONEM AFFERENDIS.

I.

Quo tempore Alexandriæ et Pergami artes ingenuæ florebant et libris undique conquirendis magno studio incumbebant Ptolemæi Attalique reges, nonnulla in lucem edita sunt opera quæ sub falso aut commentitio nomine circumlata, et tum ex ambitione aut ex avaritia, tum ex nocendi aut mentiendi libidine, ut pulchre arguit Fabricius (1), profecta eruditis hominibus amplam disputandi et disserendi materiam præbuerunt. Tunc enim præcipue *auri malesuada fames* impulit librarios ut Socratis, Aristotelis, Demosthenis laudata nomina libris suis inscriberent, perinde ac faciunt memorati in Phædri fabula artifices

Qui pretium operibus majus inveniunt, novo
Si marmori adscripserunt Praxitelem suo,
Trito Myronem argento (2).

« Antequam vero Alexandriæ et Pergami reges in
« comparandis veterum libris invicem æmularentur,

(1) Fabricius. Bibl. græc. t. XIV. p. 125. ed. 1754.
(2) Phæd. lib. V. Prolog.

« adversus Judæos librum scripserit) Amosis Ægypti « regis mentionem habet, testemque adducens Ptole- « mæum Mendesium, hoc pacto scribit : Athyriam « evertit Amosis, qui fuit tempore Inachi Argivi, ut « scripsit in annalibus Mendesius Ptolemæus. Hic au- « tem Ptolemæus fuit quidam sacerdos : regum autem « Ægypti res gestas tribus libris exponens, dicit tem- « pore Amosis, Mose duce, Judæos emigravisse ex « Ægypto, unde plane apparet Mosem tempore Ina- « chi floruisse (1). »

Περὶ τῶν κατὰ Μωσέα χρόνων ἤδη λεκτέον· δι' ὧν δειχθήσεται, πάσης σοφίας ἀρχαιοτάτη ἡ κατὰ Ἑβραίους φιλοσοφία· Εἴρηται μὲν οὖν περὶ τούτων ἀκριβῶς Τατιανῷ ἐν τῷ πρὸς Ἕλληνας· εἴρηται δὲ Κασσιανῷ ἐν τῷ πρώτῳ τῶν ἐξηγητικῶν. Ἀπαιτεῖ δὲ ὅμως τὸ ὑπόμνημα, καὶ ἡμᾶς ἐπιδραμεῖν τὰ κατὰ τὸν τόπον εἰρημένα. Ἀπίων τοίνυν ὁ γραμματικὸς, ὁ πλειστονίκης ἐπικληθεὶς, ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν Αἰγυπτιακῶν ἱστοριῶν, καίτοι φιλαπεχθημόνως πρὸς Ἑβραίους διακείμενος, ἅτε Αἰγύπτιος τὸ γένος, ὡς καὶ κατὰ Ἰουδαίων συντάξασθαι βιβλίον· Ἀμώσιος τοῦ Αἰγυπτίων βασιλέως μεμνημένος καὶ τῶν κατ' αὐτὸν πράξεων μάρτυρα παρατίθεται Πτολεμαῖον τὸν Μενήσιον· καὶ τὰ τῆς λέξεως αὐτοῦ ὧδε ἔχει· κατέσκαψε δὲ τὴν Ἀθυρίαν Ἄμωσις, κατὰ τὸν Ἀργεῖον γενόμενος Ἴναχον, ὡς ἐν τοῖς χρόνοις ἀνέγραψεν ὁ Μενδήσιος Πτολεμαῖος. Ὁ δὲ Πτολεμαῖος οὗτος ἱερεὺς μὲν ἦν. Τὰς δὲ τῶν Αἰγυπτίων βασιλέων πράξεις ἐν τρισὶν ὅλαις ἐκθέμενος βίβλοις, κατὰ Ἄμωσίν φησιν Αἰγύπτου βασιλέα, Μωσέως ἡγουμένου, γεγονέναι Ἰουδαίοις τὴν ἐξ Αἰγύπτου πορείαν. Ἐξ ὧν συνῶπται κατὰ Ἴναχον ἠκμακέναι τὸν Μωσέα.

Hinc de Mose Clemens dicere pergit, et eam

(1) B. Clem. Alexand. Strom. I. c. XXI.

rem tractat ratione alia atque Josephus : ille enim, qui more suo operæ pretium existimat Græcorum omnium auctorum nomina recensere, plures illorum locos usurpare et describere; idem ex his libris nihil profert, cum tamen multa sint in eis, si Josepho fides, Judæorum antiquitatem comprobatura. Qui fit igitur ut ipse Clemens, quem veterum sine controversia eruditissimum esse Valckenarius merito affirmat(1), ita Josephi in Apionem libros prætermittat? Quin etiam, cum de Judæorum antiquitate et de Apione ipso diceret, imo adderet hanc disputationem a Tatiano Cassianoque ἀκριβῶς fuisse tractatam, qui fit ut omnino de Josepho taceat? Scilicet eamdem materiam Josephus haud ἀκριβῶς tractaverat? ita sane Clemens censuit; idemque ille, qui Tatianum probavit, non potuit Josephum non reprehendere; ambo dum instituunt eamdem viam sequi, in iisdem scriptoribus citandis longe dissentiunt, quod quidem infra videbimus, ubi erit de Beroso, de Menandro, de Dio agendum. Rursus, ineunte tertio sæculo, Africano placuit hanc causam de Judæorum antiquitate agere, et plura, quæ materiæ accommodata erant, testimonia proferre. Berosum igitur ad partes vocat, illum dico chaldaïcorum annalium scriptorem; iste vero Berosus quem apud Tatianum et Africanum invenimus, alterque eodem cognomine apud Josephum appellatus, ut Sosia cum Mercurio in fabula, ita dissentiunt, ut possent pro hoc eodem nomine contendere, imo sese invicem oppugnare. Quod si velis verum Berosum et simul unâ fraudis magistrum

(1) Valcken. de Aristobulo Judæo. p. 7.

discernere, animadverte quis blaterandi et illudendi artem magis calleat. Profecto apud Josephum sub Berosi istius pallio Mercurium denuo invenies.

De commentariis quæ Cassianus et Justus exaraverunt, quum ætatem non tulerint, nihil dici potest. Attamen constat Justum Tiberiade oriundum, Josepho fuisse æqualem, et inter eos exstitisse simultates (1); cumque Justus mendacii a Josepho arguatur, inde augurari licet ejusdem criminis Josephum fuisse reum; quid vero augurari? Nonne ex ipsis Josephi verbis res plane liquet? « Quoniam multos video, « ait, qui maledictis sermonibus malo animo a qui- « busdam jactatis, fidem habeant, eaque quæ ego de « antiquitate scripsi non credant et recentiorem esse « gentem nostram colligant ex eo quod nulla ejus- « dem mentio fuerit apud celebres Græcorum histori- « cos, de hisce omnibus putavi breviter scribendum. » Ἐπεὶ δὲ συχνοὺς ὁρῶ ταῖς ὑπὸ δυσμενείας ὑπὸ τινῶν εἰρημέναις προσέχοντας βλασφημίαις, καὶ τοῖς περὶ τὴν ἀρχαιολογίαν ὑπ' ἐμοῦ γεγραμμένοις ἀπιστοῦντας, τεκμήριόν τε ποιουμένους τοῦ νεώτερον εἶναι τὸ γένος ἡμῶν, διὰ τὸ μηδεμιᾶς παρὰ τοῖς ἐπιφανέσι τῶν Ἑλληνικῶν ἱστοριογράφων μνήμης ἠξιῶσθαι, περὶ τούτων ἁπάντων ᾠήθην δεῖν γράψαι συντόμως (1).

Quod autem Josephus hos in Apionem libros cum jam esset grandior ætate exaraverit, atque etiam ex suis antea editis lucubrationibus quasi expresserit, in dubium jam venit an nova hæc opera auctoritate aliqua polleant. Jam sæpius disputatum est de fide Josephi in Judæorum annalibus describendis; illum

(1) Flavii. Joseph. Op. II. p. 437. edit. Havercamp.

quidem recte arguerunt multi et clari auctores fabulosas et nugacissimas narrationes historiæ suæ aspersisse, Græcorumque placitis cum summo studio consuluisse, illud præcipue veritum ne Græcos offenderet ut Suidas animadvertit in voce Φλέγων : Τοὐναντίον μὲν οὖν ὁ Ἰώσηπος καὶ δεδοικότι ἔοικε καὶ εὐλαβουμένῳ, ὡς μὴ προσκρούσειεν Ἕλλησι. Suidæ Valckenarius adstipulatur, qui in commentatione de Aristobulo Judæo, Josephum sæpe mentitum fuisse affirmat ut « potis« simorum quos habebat Romæ patronorum sese in« sinuaret in gratiam (1). » Probe quidem et recte dictum. Quis enim Josepho melius sese paravit ut ex omni re quæstum faceret, et quidquid eveniret, in lucrum converteret. Illum Romanorum procerum parasitum esse diceres et Gnathonum e gente ortum :

> Quidquid dicunt laudat; id rursum si negant, laudat id quoque (2).

Etenim, si quis judaicis annalibus cum sacris litteris conferendis diligenter incumbat, Josephum deprehendat maxima licentia usum, quo majorem fidem apud Romanos inveniret. Complura prætermisit, alia adjunxit, alia secus interpretatus est, detrivitque nar-

(1) Cf. R. Abravanelis comment. in Dan. Fonte X. Palma 7. « Cujus verba hæc sunt : confessum quoque illis est, cum « Josephus istud scribit, nos non recipere illud ab illo, quia « plurima scribit cum immutatione veritatis, ac perversione « istius, quod scripturæ sacræ de illis testantur; ut Romanis « honorem exhiberet, tanquam servus existens in manu Do« mini sui duri, qui loquitur ad beneplacitum illius. » Cf. Disquisitionem de fide Josephi quam vir doct. Philarete Chasles Facultati litterarum Parisiensi proposuit.

(2) Terent. Eun. act. II. sc. II.

rando, ut Alb. Fabricius in disquisitione de fide Josephi rectissime arguit et probavit; ne quid dicam de primis Adami natorum monumentis, siderumque conversionibus apud has columnas inscriptis; ne quid de portentosa Absalonis coma, de Moyse bellum Æthiopibus inferente, de eodem connubium cum filia Æthiopum jungente aliisque ejusdem farinæ, quæ apparent ex libris apocryphis fuisse deprompta. Ita Josephus Moysi ac prophetis in rerum narratione plerumque adversatur, ut notant viri docti, Fabricius, Harduinus, Baronius, Petrus Baylius, Antonius Van dalen, Jacobus Usserius, W. Wottonus, Cotelerius, Petrus Brinch, B. Ittigius, denique D. Blondellus (1) cujus verba huc adjiciam : « Josephus valde « propendet in partes Ethnicorum, unde cum judicio « legendus. Super scripto Sibyllino, non super historia quæ in lege exstat struit narrationem turris « Babylonicæ : Salomoni tribuit quædam quæ certe « non conveniunt ipsi, videlicet magiæ operam de-« disse, et herbas ad magiam applicuisse. Ubique « etiam fere Ethnicorum favorem captat, atque hinc « fit ut magis phrases suas a Græcis mutuetur quam « ex lege. Item in contextu historiæ suæ Hellani-« cum, Hecatæum et Berosum magis sequitur quam « s. scripturam. Itaque moneo Josephum cum judicio « legendum esse; nihil quippe ex eo recipi debet, « nisi prius scripturæ canonicæ consentaneum esse « comperiatur (1). »

(1) Cf. Alb. Fabr. de fide Josephi Bibl. græc. L. IV. c. vi, ubi omnium horum auctorum sententias collegit et explicuit Fabricius.—Cf. Dodwell, in Præl. Campden. p. 315, qui Jose-

Jam vero ut ad finem veniat hæc prima disputatio, et his omnibus testimoniis novum adjiciam; juvat me lectores ablegare ad recentem librum doctissimi viri cui disputationem hanc totam dedicavi (1). Cuivis enim hanc de *historicis Augusti* disquisitionem perlegenti manifeste apparebit Josephum sibimetipsi in omni re consuluisse et novum quoddam aucupium fecisse, Romanis blandiendo et audacter de Judæorum originibus et religione mentiendo. Quam vero vitæ rationem a tenera ætate instituerit homo eamdem, usque ad obitum tenebit. Nam pravi mores, ut boni, invalescunt cum annis, et usu confirmantur. Josephus autem, quum ad mentiendum jam juvenis sese accinxisset, et in libris de Antiquitate Judæorum ac de Bello judaïco in hac illiberali mentiendi arte sese diligenter exercuisset, haud potuit postea, cum contra Apionem dissereret, non ingenio indulgere et naturam sequi. Adde quod noster jam ætate provectus et fractus labore ad Judæorum antiquitatem defendendam debilem animum applicuerit. Non mirum igitur si vetulum aliquid oleant hæ novæ Flavianæ lucubrationes. Etenim cum nec scribendo ingenium nec vires superessent, hoc supremum consilium inivit, ab alienis operibus plura mutuari, testes plures adducere eorumque dicta in librum conflare. Itaque Corn. Alexandrum Polyhistorem, Berosum, Eupolemum, Philonem, Demetrium, Hecatæum, alios præterea mul-

phum arguit Sibyllinos versus composuisse. — Lewitz, *Quæstionum Flavianarum specimen.* —De l'autorité historique de Joseph, par M. Ph. Chasles. — (1) E. Egger, *Examen des historiens d'Auguste*, p. 189-209.

νόμους βλασφημίας δοῦναι δίκην Ἀπίων τὴν πρέπουσαν. Περιετμήθη γὰρ ἐξ ἀνάγκης... καὶ μηδὲν ὠφεληθεὶς ὑπὸ τῆς περιτομῆς, ἀλλὰ σηπόμενος, ἐν δειναῖς ὀδύναις ἀπέθανεν. « Jure mihi videtur Apio ob maledicta in patriæ « suæ leges pœnas dedisse, quas commeruit. Nam ex « necessitate circumcisus erat, et cum nihil ei pro- « fuisset circumcisio, sed putresceret, magnis dolori- « bus expiravit (1). »

Nec Josephus extemplo post mortuum Apionem contra eum disseruit, nec, dum in Galilæa commorabatur, postea vero cum Romæ agens summosque honores adeptus, Domitiani favorem captaret, hanc dissertationem edidit; hos enim libros de antiquitate Judæorum Epaphrodito suo κρατίστῳ et τιμιωτάτῳ nuncupavit, unde ante annum Christi xcv editos fuisse apparet, quo Epaphroditum Domitianus interfecit. Cumque Josephus in Memoria rerum suarum ad eumdem Epaphroditum composita, omnes vitæ suæ eventus prosequatur usque ad annum nonagesimum et tamen de libris in Apionem taceat, hinc concludi potest hos libros intra nonagesimum et nonagesimum quintum annum in lucem prodiisse.

Jam habemus callidum et emunctæ naris hominem. Etenim hanc fallaciam astute struit, cum Græcorum scriptorum placita, quæ Judæis iniqua erant, sinat præterfluere et dissertationem interim paret quæ, post mortem Apionis cæterorumque, subito in lucem prodeat; tum Phœnices auctores Chaldæosque adducet; tum indoctis et ore patulis hominibus multa et præclara testimonia exponet. Me-

(1) Flav. Jos. Op. t. II. p. 480. ed. Havercamp.

et Eupolemi et Demetrii et Philonis Senioris venerandas reliquias invenit; inde hæc testimonia omnia diligenter deprompsit, quæ quidem non bene judicaris nisi prius ipsum unde effluunt fontem inspexeris. Quapropter de Polyhistore agendum.

I. Fateor, quod fateri piget, multos amplissimos viros hunc Alexandri Polyhistoris librum genuinum habuisse, imo, inde plura omnino securos exscripsisse. Quam malam igitur sortem duxi ut G. J. Vossio (1) et J. Jonsio (2), necnon Alph. Desvignolli (3) et summo critico Frereto (4), sexcentisque aliis (5) imprudenter contrairem. Quid dicam de judicio Dan. Huetii (6), boni et innocui hominis, qui diabolo ipsi, si diabolus Judæos laudavisset, fidem omnem adhibuisset. Profecto me pœnitet talibus viris adversari. Mihi tamen persuasum est hos eruditos scriptores de fide hujusce Polyhistoris addubitaturos fuisse, si Eusebii fide suspecta, hæc libri περὶ Ἰουδαίων fragmenta excussissent. Quippe qui penitus de Polyhistore nostro inquisiverunt, viri nec indocti nec incelebres, Sevinus et Burigniu s, ambo mihi periclitanti subsidium ferunt. Sevinus enim de Stephani Byzantii quodam loco (7) disputans, hoc pacto scribit: « Ce passage (d'Étienne de Byzance) semble prouver

(1) J. G. Voss. de Historicis græcis. p. 120 ed. Westermann.

(2) J. Jonsii. Hist. Philos. III. c. x.

(3) A. Desvign. Chronol. de l'hist. sainte. II. 391-397.

(4) Freret. Mém. de l'Ac. des insc. et belles-lett. XVI. 210.

(5) Vide infra p. 32 iidem qui Beroso fidem habuerunt hunc Corn. Alexandrum genuinum censuerunt.

(6) Dan. Huet. Dem. Evang. prop. IV. c. 2. § 34.

(7) Steph. Byzant. sub voce Ἰουδαία. Vide infra p. 28.

que les fragments de cet Alexandre, copiés par Eusèbe, sont autant de pièces supposées. Le Polyhistor d'Étienne ignorait les premiers éléments de l'histoire des Juifs; en cela bien différent du Polyhistor d'Eusèbe qui parle toujours en homme parfaitement instruit des antiquités de cette nation (1). » In eamdem hanc sententiam ivit Burignius cum de historicis rerum Judaicarum dissereret et his verbis scriberet : Alexandre Polyhistor est, selon les apparences, (un auteur) supposé; il est constant que le véritable Alexandre ne connaissait en aucune façon ni Moïse, ni les Juifs; la preuve en est qu'il avait écrit que le législateur des Hébreux était une femme, nommée *Moso*, et que Judas, fils de Sémiramis, avait donné son nom à la Judée (2). »

Hac opportuna Sevini et Burignii sententia recreatus et jam operi accinctus hanc omnem de Alexandro Polyhistore quæstionem tractandam et dilucidandam suscipio.

II. Cornelius Alexander Polyhistor, Cornelii Lentuli libertus, circa, CLXXII olympiadem floruit (3), multosque libros scripsit qui nunc, præter perpauca fragmenta nondum quidem collecta, omnes desiderantur. Sub hujusce grammatici nomine circumferebatur liber περὶ Ἰουδαίων, quem citaverunt Clemens (4), Josephus (5), itemque Eusebius in Præparatione evangelica, ubi magna pars hujus operis exstat (6).

(1) Mém. de l'Acad. des ins. et belles lett. t. III. p. 374.
(2) Mém. de l'Acad. des ins. et belles-lett. t. XXIX. p. 204.
(3) Suidas sub voce : Alexander Polyhistor.
(4) B. Clem. Alex. Strom. p. 143. — (5) Jos. Op. I. p. 44.
(6) Eus. Præp. Evang. lib. IX. c. XVII-XXXVIII.

Hic autem operæ pretium est nonnulla ex hoc libro adferre quasi litis instrumenta, quibus liquido appareat utrum sit opus περὶ Ἰουδαίων Cornelio Alexandro an Judæo cuidam adscribendum. Ac primum interest locum quemdam de Abrahamo, quem quidem Eusebius se vidisse in libro περὶ Ἰουδαίων affirmat, proponere (1):

« Hæc Polyhistor, qui, nonnullis interjectis, rursus « ita subdit : paulo post jussum a Deo Abrahamum « fuisse ait, ut Isaacum filium ipsi in holocaustum « immolaret, eumque continuo adolescente secum in « montem educto, succendisse pyram, eique simul « Isaacum imposuisse. Verum ipsi, cum jamjam fi- « lium jugulaturus esset, ab angelo facinus inhibente « arietem ad sacrificium oblatum esse, quem ille sub- « ducto pyræ filio mactavit. » Τοσαῦτα ὁ Πολυΐστωρ· οἷς μεθ' ἕτερα ἐπιφέρει λέγων· μετ' οὐ πολὺν δὲ χρόνον τὸν Θεὸν τῷ Ἀβραὰμ προστάξαι, Ἰσαὰκ τὸν υἱὸν ὁλοκαρπῶσαι αὐτῷ. Τὸν δὲ ἀναγαγόντα τὸν παῖδα ἐπὶ τὸ ὄρος, πυρὰν νῆσαι, καὶ ἐπιθεῖναι τὸν Ἰσαάκ. Σφάζειν δὲ μέλλοντα, κωλυθῆναι ὑπὸ Ἀγγέλου, κριὸν αὐτῷ πρὸς τὴν κάρπωσιν παραστήσαντος· τὸν δὲ Ἀβραάμ, τὸν μὲν παῖδα καθελεῖν ἀπὸ τῆς πυρᾶς, τὸν δὲ κριὸν καρπῶσαι. *Credat Judæus Apella* hæc a Judæo quodam non fuisse conficta; quis enim tam religiose et accurate de Abrahamo dixerit, nisi Mosaica lege imbutus, unde hauserit τὸν Θεὸν τῷ Ἀβραὰμ προστάξαι? Quis nisi Judæus his verbis addiderit Abrahamum κωλυθῆναι ὑπὸ τοῦ Ἀγγέλου.

Rursus Alexander Polyhistor Eupolemum secutus

(1) Eus. Præp. lib. IX. c. XIX.

his verbis scribit : « Ἕλληνας δὲ λέγειν τὸν Ἄτλαντα « εὑρηκέναι ἀστρολογεῖν· εἶναι δὲ τὸν Ἄτλαντα τὸν αὐ-« τὸν καὶ Ἐνώχ. Τὸν δὲ Ἐνὼχ γενέσθαι υἱὸν Μαθουσάλαν, « ὃν πάντα δι' Ἀγγέλων Θεοῦ γνῶναι καὶ ἡμᾶς οὕτως « ἐπιγνῶναι. Atlantem Græci astrologiæ inventorem « esse volunt, sed nimirum Atlantem eumdem esse « quem Enochum appellamus, qui Mathusalamum « patrem habuit, huncque ab angelis Dei omnia di-« dicisse quæ tandem ad cognitionem nostram per-« manarunt (1). »

Hæc sane Judæum olent; at etiam fontem ipsum unde derivantur licet perspicere. Constat apud Judæos exstitisse spurium quemdam librum, sub nomine Enochi vulgatum, quem Rich. Simon censuit cujusdam Judæi et Nehemiæ æqualis, Huetius vero Judæi Alexandrini lucubrationem esse (2). Hujusce commenti Origenes ac Tertullianus mentionem fecerunt (3); atque in opere excellentissimo de Eusebii Chronicis eas quæ supersunt sacras et perantiquas Enochi reliquias Scaligerus in unum collegit. In hoc autem libro scriptum est Enochum ab angelo fuisse educatum; quo quidem magistro quibus viis et temporibus sidera volvantur, edocente, discipulus astronomiæ peritissimus evasit. Quin etiam, Abrahamus Ben Dior, homo prorsus bene moratus et fide dignus, in procemiis quæ suis præfixit commentariis *de Creatione mundi*, ea sacra nomina recensuit angelorum

(1) Eus. Præp. Evang. lib. IX. c. XVII.

(2) Rich. Simon. Hist. du vieux Test. lib. I. c. VII.

(3) Scis scripturam Enoch quæ hunc ordinem angelis dedit non recipi a quibusdam, quia nec armarium judaicum admittitur.... Tertul. De hab. mul. c. 3.

per quos primi patriarchæ in scientia caballistica eruditi fuerunt (1).

Ad nostrum Alexandrum redeamus, qui quidem ab integro eadem industria de Mose disserens, plura sacræ scripturæ consentanea profert, novumque addit testimonium ab Eupolemo translatum : Εὐπόλεμος δέ φησι τὸν Μωσῆν πρῶτον σοφὸν γενέσθαι, καὶ γράμματα παραδοῦναι τοῖς Ἰουδαίοις πρῶτον, παρὰ δὲ Ἰουδαίων Φοίνικας παραλαβεῖν, Ἕλληνας δὲ παρὰ Φοινίκων, νόμους τε πρῶτον γράψαι Μωσῆν τοῖς Ἰουδαίοις. « Mosem narrat Eupolemus primum sapientem fuisse, « Judæisque primum litteras tradidisse, a quibus eas « Phœnices ut a Phœnicibus Græci acceperunt : eumdemque Judæis leges primum condidisse (2). » Inter hos spurios fœtus, in specimen proferre libet has litteras mutuas quas Salomon ad Suronem et Vaphrem, Suron autem et Vapher ad Salomonem scripsisse dicuntur; ac periculum est ut teneas risum, ubi in ipso aditu animadverteris quanta humanitate Salomon a regibus Ægyptiorum et Phœnicum habeatur. Ambo enim jam Salomoni salutem plurimam dantes, eum regem maximum vocant. Et hoc pacto quidem incipit Suron rex Tyriorum, homo acutus atque urbanitatis vernaculæ fons! ut ait Tullius:

ΣΟΥΡΩΝ ΣΟΛΟΜΩΝΙ ΒΑΣΙΛΕΙ ΜΕΓΑΛΩ ΧΑΙΡΕΙΝ.

Vaphres autem :

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΟΥΑΦΡΗΣ ΣΟΛΟΜΩΝΙ ΒΑΣΙΛΕΙ ΜΕΓΑΛΩ ΧΑΙΡΕΙΝ (3).

Hominem argutum et in Hebraicis epistolarum ar-

(1) Cf. Richard Simon. Hist. du vieux Testam. lib. I. c. VII.
(2) Eus. Præp. Evang. lib. IX. c. XXVI.
(3) Eus. Præp. Evang. lib. IX. c. XXXII. XXXIV.

discernere, animadverte quis blaterandi et illudendi artem magis calleat. Profecto apud Josephum sub Berosi istius pallio Mercurium denuo invenies.

De commentariis quæ Cassianus et Justus exaraverunt, quum ætatem non tulerint, nihil dici potest. Attamen constat Justum Tiberiade oriundum, Josepho fuisse æqualem, et inter eos exstitisse simultates (1); cumque Justus mendacii a Josepho arguatur, inde augurari licet ejusdem criminis Josephum fuisse reum; quid vero augurari? Nonne ex ipsis Josephi verbis res plane liquet? « Quoniam multos video, « ait, qui maledictis sermonibus malo animo a qui- « busdam jactatis, fidem habeant, eaque quæ ego de « antiquitate scripsi non credant et recentiorem esse « gentem nostram colligant ex eo quod nulla ejus- « dem mentio fuerit apud celebres Græcorum histori- « cos, de hisce omnibus putavi breviter scribendum. » Ἐπεὶ δὲ συχνοὺς ὁρῶ ταῖς ὑπὸ δυσμενείας ὑπό τινῶν εἰρημέναις προσέχοντας βλασφημίαις, καὶ τοῖς περὶ τὴν ἀρχαιολογίαν ὑπ' ἐμοῦ γεγραμμένοις ἀπιστοῦντας, τεκμήριόν τε ποιουμένους τοῦ νεώτερον εἶναι τὸ γένος ἡμῶν, διὰ τὸ μηδεμιᾶς παρὰ τοῖς ἐπιφανέσι τῶν Ἑλληνικῶν ἱστοριογράφων μνήμης ἠξιῶσθαι, περὶ τούτων ἁπάντων ᾠήθην δεῖν γράψαι συντόμως (1).

Quod autem Josephus hos in Apionem libros cum jam esset grandior ætate exaraverit, atque etiam ex suis antea editis lucubrationibus quasi expresserit, in dubium jam venit an nova hæc opera auctoritate aliqua polleant. Jam sæpius disputatum est de fide Josephi in Judæorum annalibus describendis; illum

(1) Flavii. Joseph. Op. II. p. 437. edit. Havercamp.

quidem recte arguerunt multi et clari auctores fabulosas et nugacissimas narrationes historiæ suæ aspersisse, Græcorumque placitis cum summo studio consuluisse, illud præcipue veritum ne Græcos offenderet ut Suidas animadvertit in voce Φλέγων : Τοὐναντίον μὲν οὖν ὁ Ἰώσηπος καὶ δεδοικότι ἔοικε καὶ εὐλαβουμένῳ, ὡς μὴ προσκρούσειεν Ἕλλησι. Suidæ Valckenarius adstipulatur, qui in commentatione de Aristobulo Judæo, Josephum sæpe mentitum fuisse affirmat ut « potis-« simorum quos habebat Romæ patronorum sese in-« sinuaret in gratiam (1). » Probe quidem et recte dictum. Quis enim Josepho melius sese paravit ut ex omni re quæstum faceret, et quidquid eveniret, in lucrum converteret. Illum Romanorum procerum parasitum esse diceres et Gnathonum e gente ortum :

> Quidquid dicunt laudat; id rursum si negant, laudat id quoque (2).

Etenim, si quis judaicis annalibus cum sacris litteris conferendis diligenter incumbat, Josephum deprehendat maxima licentia usum, quo majorem fidem apud Romanos inveniret. Complura prætermisit, alia adjunxit, alia secus interpretatus est, detrivitque nar-

(1) Cf. R. Abravanelis comment. in Dan. Fonte X. Palma 7. « Cujus verba hæc sunt : confessum quoque illis est, cum « Josephus istud scribit, nos non recipere illud ab illo, quia « plurima scribit cum immutatione veritatis, ac perversione « istius, quod scripturæ sacræ de illis testantur ; ut Romanis « honorem exhiberet, tanquam servus existens in manu Do-« mini sui duri, qui loquitur ad beneplacitum illius. » Cf. Disquisitionem de fide Josephi quam vir doct. Philarete Chasles Facultati litterarum Parisiensi proposuit.

(2) Terent. Eun. act. II. sc. II.

rando, ut Alb. Fabricius in disquisitione de fide Josephi rectissime arguit et probavit; ne quid dicam de primis Adami natorum monumentis, siderumque conversionibus apud has columnas inscriptis; ne quid de portentosa Absalonis coma, de Moyse bellum Æthiopibus inferente, de eodem connubium cum filia Æthiopum jungente aliisque ejusdem farinæ, quæ apparent ex libris apocryphis fuisse deprompta. Ita Josephus Moysi ac prophetis in rerum narratione plerumque adversatur, ut notant viri docti, Fabricius, Harduinus, Baronius, Petrus Baylius, Antonius Vandalen, Jacobus Usserius, W. Wottonus, Cotelerius, Petrus Brinch, B. Ittigius, denique D. Blondellus (1) cujus verba huc adjiciam : « Josephus valde « propendet in partes Ethnicorum, unde cum judicio « legendus. Super scripto Sibyllino, non super histo- « ria quæ in lege exstat struit narrationem turris « Babylonicæ : Salomoni tribuit quædam quæ certe « non conveniunt ipsi, videlicet magiæ operam de- « disse, et herbas ad magiam applicuisse. Ubique « etiam fere Ethnicorum favorem captat, atque hinc « fit ut magis phrases suas a Græcis mutuetur quam « ex lege. Item in contextu historiæ suæ Hellani- « cum, Hecatæum et Berosum magis sequitur quam « s. scripturam. Itaque moneo Josephum cum judicio « legendum esse; nihil quippe ex eo recipi debet, « nisi prius scripturæ canonicæ consentaneum esse « comperiatur (1). »

(1) Cf. Alb. Fabr. de fide Josephi Bibl. græc. L. IV. c. VI, ubi omnium horum auctorum sententias collegit et explicuit Fabricius.—Cf. Dodwell, in Præl. Campden. p. 315, qui Jose-

Jam vero ut ad finem veniat hæc prima disputatio, et his omnibus testimoniis novum adjiciam; juvat me lectores ablegare ad recentem librum doctissimi viri cui disputationem hanc totam dedicavi (1). Cuivis enim hanc de *historicis Augusti* disquisitionem perlegenti manifeste apparebit Josephum sibimetipsi in omni re consuluisse et novum quoddam aucupium fecisse, Romanis blandiendo et audacter de Judæorum originibus et religione mentiendo. Quam vero vitæ rationem a tenera ætate instituerit homo eamdem, usque ad obitum tenebit. Nam pravi mores, ut boni, invalescunt cum annis, et usu confirmantur. Josephus autem, quum ad mentiendum jam juvenis sese accinxisset, et in libris de Antiquitate Judæorum ac de Bello judaïco in hac illiberali mentiendi arte sese diligenter exercuisset, haud potuit postea, cum contra Apionem dissereret, non ingenio indulgere et naturam sequi. Adde quod noster jam ætate provectus et fractus labore ad Judæorum antiquitatem defendendam debilem animum applicuerit. Non mirum igitur si vetulum aliquid oleant hæ novæ Flavianæ lucubrationes. Etenim cum nec scribendo ingenium nec vires superessent, hoc supremum consilium inivit, ab alienis operibus plura mutuari, testes plures adducere eorumque dicta in librum conflare. Itaque Corn. Alexandrum Polyhistorem, Berosum, Eupolemum, Philonem, Demetrium, Hecatæum, alios præterea mul-

phum arguit Sibyllinos versus composuisse. — Lewitz, *Quæstionum Flavianarum specimen.* —De l'autorité historique de Joseph, par M. Ph. Chasles. — (1) E. Egger, *Examen des historiens d'Auguste*, p. 189-209.

tos precatus est ut suppetias venirent et vicissim de Judæorum antiquitate dissererent. Quibus convocatis, magistro in schola sedenti simillimus, omnes serio vultu et attentis auribus audit et cuique declamationem concludenti patulo ore respondet: pulchre, bene, recte! Nos autem, quoniam Flavianis vestigiis insistimus, hos eosdem auctores spectare et audire et æqua lance dijudicare debemus; quorum inter se diversitas et discrepantia si nos ipsos ita impediet, ut vix hujusce disputationis partes apte et perfecte cohæreant, tu, lector, Josephum incusare velis, nos a negligentiæ culpa liberare.

IV.

De fide et auctoritate libri περὶ Ἰουδαίων Alexandro Polyhistori adscripti, unde Josephus multa deprompsit.

Equidem sæpe miratus sum unde multi et sapientes viri Josephum existimaverint admodum eruditum fuisse multisque in libris versatum. Tempora enim, quibus vixit, magnis illa et crebris cladibus funesta, tum ea vitæ ratio quam inter Judæos et Romanos habuit, non erant, ut opinor, doctrinarum studiis accommodata. Non potuit ergo Josephus materiam scribendi ex fontibus ipsis haurire, at rabulæ forensis ritu, causam male et raptim agens, omnia, aut vera, aut falsa, quæ proposito conducerent, suo consuere libro properavit.

Itaque Corn. Alexandrum Polyhistorem noster amore singulari fovebat, ejusque libro de Judæis gaudebat veluti pergrandi thesauro necnon ac quadam omnium notorum et incognitorum silva; illic Berosi

et Eupolemi et Demetrii et Philonis Senioris venerandas reliquias invenit; inde hæc testimonia omnia diligenter deprompsit, quæ quidem non bene judicaris nisi prius ipsum unde effluunt fontem inspexeris. Quapropter de Polyhistore agendum.

I. Fateor, quod fateri piget, multos amplissimos viros hunc Alexandri Polyhistoris librum genuinum habuisse, imo, inde plura omnino securos exscripsisse. Quam malam igitur sortem duxi ut G. J. Vossio (1) et J. Jonsio (2), necnon Alph. Desvignolli (3) et summo critico Frereto (4), sexcentisque aliis (5) imprudenter contrairem. Quid dicam de judicio Dan. Huetii (6), boni et innocui hominis, qui diabolo ipsi, si diabolus Judæos laudavisset, fidem omnem adhibuisset. Profecto me pœnitet talibus viris adversari. Mihi tamen persuasum est hos eruditos scriptores de fide hujusce Polyhistoris addubitaturos fuisse, si Eusebii fide suspecta, hæc libri περὶ Ἰουδαίων fragmenta excussissent. Quippe qui penitus de Polyhistore nostro inquisiverunt, viri nec indocti nec incelebres, Sevinus et Burignius, ambo mihi periclitanti subsidium ferunt. Sevinus enim de Stephani Byzantii quodam loco (7) disputans, hoc pacto scribit: « Ce passage (d'Étienne de Byzance) semble prouver

(1) J. G. Voss. de Historicis græcis. p. 120 ed. Westermann.

(2) J. Jonsii. Hist. Philos. III. c. x.

(3) A. Desvign. Chronol. de l'hist. sainte. II. 391-397.

(4) Freret. Mém. de l'Ac. des insc. et belles-lett. XVI. 210.

(5) Vide infra p. 32 iidem qui Beroso fidem habuerunt hunc Corn. Alexandrum genuinum censuerunt.

(6) Dan. Huet. Dem. Evang. prop. IV. c. 2. § 34.

(7) Steph. Byzant. sub voce Ἰουδαία. Vide infra p. 28.

que les fragments de cet Alexandre, copiés par Eusèbe, sont autant de pièces supposées. Le Polyhistor d'Étienne ignorait les premiers éléments de l'histoire des Juifs; en cela bien différent du Polyhistor d'Eusèbe qui parle toujours en homme parfaitement instruit des antiquités de cette nation (1). » In eamdem hanc sententiam ivit Burignius cum de historicis rerum Judaicarum dissereret et his verbis scriberet : Alexandre Polyhistor est, selon les apparences, (un auteur) supposé; il est constant que le véritable Alexandre ne connaissait en aucune façon ni Moïse, ni les Juifs; la preuve en est qu'il avait écrit que le législateur des Hébreux était une femme, nommée *Moso*, et que Judas, fils de Sémiramis, avait donné son nom à la Judée (2). »

Hac opportuna Sevini et Burignii sententia recreatus et jam operi accinctus hanc omnem de Alexandro Polyhistore quæstionem tractandam et dilucidandam suscipio.

II. Cornelius Alexander Polyhistor, Cornelii Lentuli libertus, circa, CLXXII olympiadem floruit (3), multosque libros scripsit qui nunc, præter perpauca fragmenta nondum quidem collecta, omnes desiderantur. Sub hujusce grammatici nomine circumferebatur liber περὶ Ἰουδαίων, quem citaverunt Clemens (4), Josephus (5), itemque Eusebius in Præparatione evangelica, ubi magna pars hujus operis exstat (6).

(1) Mém. de l'Acad. des ins. et belles lett. t. III. p. 374.
(2) Mém. de l'Acad. des ins. et belles-lett. t. XXIX. p. 204.
(3) Suidas sub voce : Alexander Polyhistor.
(4) B. Clem. Alex. Strom. p. 143. — (5) Jos. Op. I. p. 44.
(6) Eus. Præp. Evang. lib. IX. c. XVII-XXXVIII.

Hic autem operæ pretium est nonnulla ex hoc libro adferre quasi litis instrumenta, quibus liquido appareat utrum sit opus περὶ Ἰουδαίων Cornelio Alexandro an Judæo cuidam adscribendum. Ac primum interest locum quemdam de Abrahamo, quem quidem Eusebius se vidisse in libro περὶ Ἰουδαίων affirmat, proponere (1):

« Hæc Polyhistor, qui, nonnullis interjectis, rursus « ita subdit : paulo post jussum a Deo Abrahamum « fuisse ait, ut Isaacum filium ipsi in holocaustum « immolaret, eumque continuo adolescente secum in « montem educto, succendisse pyram, eique simul « Isaacum imposuisse. Verum ipsi, cum jamjam fi- « lium jugulaturus esset, ab angelo facinus inhibente « arietem ad sacrificium oblatum esse, quem ille sub- « ducto pyræ filio mactavit. » Τοσαῦτα ὁ Πολυΐστωρ· οἷς μεθ' ἕτερα ἐπιφέρει λέγων· μετ' οὐ πολὺν δὲ χρόνον τὸν Θεὸν τῷ Ἀβραὰμ προστάξαι, Ἰσαὰκ τὸν υἱὸν ὁλοκαρπῶσαι αὐτῷ. Τὸν δὲ ἀναγαγόντα τὸν παῖδα ἐπὶ τὸ ὄρος, πυρὰν νῆσαι, καὶ ἐπιθεῖναι τὸν Ἰσαάκ. Σφάζειν δὲ μέλλοντα, κωλυθῆναι ὑπὸ Ἀγγέλου, κριὸν αὐτῷ πρὸς τὴν κάρπωσιν παραστήσαντος· τὸν δὲ Ἀβραὰμ, τὸν μὲν παῖδα καθελεῖν ἀπὸ τῆς πυρᾶς, τὸν δὲ κριὸν καρπῶσαι. *Credat Judæus Apella* hæc a Judæo quodam non fuisse conficta; quis enim tam religiose et accurate de Abrahamo dixerit, nisi Mosaica lege imbutus, unde hauserit τὸν Θεὸν τῷ Ἀβραὰμ προστάξαι? Quis nisi Judæus his verbis addiderit Abrahamum κωλυθῆναι ὑπὸ τοῦ Ἀγγέλου.

Rursus Alexander Polyhistor Eupolemum secutus

(1) Eus. Præp. lib. IX. c. XIX.

his verbis scribit : « Ἕλληνας δὲ λέγειν τὸν Ἄτλαντα « εὑρηκέναι ἀστρολογεῖν· εἶναι δὲ τὸν Ἄτλαντα τὸν αὐ-« τὸν καὶ Ἐνώχ. Τὸν δὲ Ἐνὼχ γενέσθαι υἱὸν Μαθουσάλαν, « ὃν πάντα δι' Ἀγγέλων Θεοῦ γνῶναι καὶ ἡμᾶς οὕτως « ἐπιγνῶναι. Atlantem Græci astrologiæ inventorem « esse volunt, sed nimirum Atlantem eumdem esse « quem Enochum appellamus, qui Mathusalamum « patrem habuit, huncque ab angelis Dei omnia di-« dicisse quæ tandem ad cognitionem nostram per-« manarunt (1). »

Hæc sane Judæum olent; at etiam fontem ipsum unde derivantur licet perspicere. Constat apud Judæos exstitisse spurium quemdam librum, sub nomine Enochi vulgatum, quem Rich. Simon censuit cujusdam Judæi et Nehemiæ æqualis, Huetius vero Judæi Alexandrini lucubrationem esse (2). Hujusce commenti Origenes ac Tertullianus mentionem fecerunt (3); atque in opere excellentissimo de Eusebii Chronicis eas quæ supersunt sacras et perantiquas Enochi reliquias Scaligerus in unum collegit. In hoc autem libro scriptum est Enochum ab angelo fuisse educatum; quo quidem magistro quibus viis et temporibus sidera volvantur, edocente, discipulus astronomiæ peritissimus evasit. Quin etiam, Abrahamus Ben Dior, homo prorsus bene moratus et fide dignus, in procemiis quæ suis præfixit commentariis *de Creatione mundi*, ea sacra nomina recensuit angelorum

(1) Eus. Præp. Evang. lib. IX. c. XVII.

(2) Rich. Simon. Hist. du vieux Test. lib. I. c. VII.

(3) Scis scripturam Enoch quæ hunc ordinem angelis dedit non recipi a quibusdam, quia nec armarium judaicum admittitur.... Tertul. De hab. mul. c. 3.

per quos primi patriarchæ in scientia cabalistica eruditi fuerunt (1).

Ad nostrum Alexandrum redeamus, qui quidem ab integro eadem industria de Mose disserens, plura sacræ scripturæ consentanea profert, novumque addit testimonium ab Eupolemo translatum: Εὐπόλεμος δέ φησι τὸν Μωσῆν πρῶτον σοφὸν γενέσθαι, καὶ γράμματα παραδοῦναι τοῖς Ἰουδαίοις πρῶτον, παρὰ δὲ Ἰουδαίων Φοίνικας παραλαβεῖν, Ἕλληνας δὲ παρὰ Φοινίκων, νόμους τε πρῶτον γράψαι Μωσῆν τοῖς Ἰουδαίοις. « Mo-« sem narrat Eupolemus primum sapientem fuisse, « Judæisque primum litteras tradidisse, a quibus eas « Phœnices ut a Phœnicibus Græci acceperunt: eum-« demque Judæis leges primum condidisse (2). » Inter hos spurios fœtus, in specimen proferre libet has litteras mutuas quas Salomon ad Suronem et Vaphrem, Suron autem et Vapher ad Salomonem scripsisse dicuntur; ac periculum est ut teneas risum, ubi in ipso aditu animadverteris quanta humanitate Salomon a regibus Ægyptiorum et Phœnicum habeatur. Ambo enim jam Salomoni salutem plurimam dantes, eum regem maximum vocant. Et hoc pacto quidem incipit Suron rex Tyriorum, homo acutus atque urbanitatis vernaculæ fons! ut ait Tullius:

ΣΟΥΡΩΝ ΣΟΛΟΜΩΝΙ ΒΑΣΙΛΕΙ ΜΕΓΑΛΩ ΧΑΙΡΕΙΝ.

Vaphres autem:

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΟΥΑΦΡΗΣ ΣΟΛΟΜΩΝΙ ΒΑΣΙΛΕΙ ΜΕΓΑΛΩ ΧΑΙΡΕΙΝ (3).

Hominem argutum et in Hebraicis epistolarum ar-

(1) Cf. Richard Simon. Hist. du vieux Testam. lib. I. c. VII.
(2) Eus. Præp. Evang. lib. IX. c. XXVI.
(3) Eus. Præp. Evang. lib. IX. c. XXXII. XXXIV.

gumentis versatum qui tali fronte deciperetur hasque litteras pro genuinis acciperet! Sed quid amplius moror? pridem liquet hunc librum περὶ Ἰουδαίων spurium esse, jamque Josephum mendacii compertum.

III. Quod si hæc argumenta, cum tanta ac talia sint, parum te moveant, adverte jam quam insulsam et imprudentem sententiam incurras. Quid est enim quod Romanorum Græcorumve scriptorum unus Alexander Judæos auctores ad partes vocet, unus eorum libros magni faciat, unus de judaicis libris vera atque laudatoria ultra fas jactitet, cæteri omnes Chæremo, Lysimachus, Agatharchides, Manetho, Apio, C. Tacitus et reliqui fabulosas narrationes contexant.

Adde quod Corn. Alexander ob singularem doctrinam plurimi habebatur, ut Suetonius refert (1): « eum « grammaticum græcum, C. J. Hyginus studiose et au« diit et imitatus est : quem propter antiquitatis notitiam « *Polyhistorem* multi, quidam *historiam* vocabant. »

Sæpius hunc Polyhistorem laudant et testem arcessunt Plutarchus (2), Valerius Maximus (3), Diogenesque Laertius (4) atque Athenæus (5), necnon Stephanus Byzantinus (6) et Suidas (7). Ejusdem libros sæpius Caius Plinius ad partes advocavit in Historia naturali; et tamen omnes illi scriptores de libro Polyhistoris περὶ Ἰουδαίων, nusquam omnino mentionem habuere. Quin etiam, si Caius Plinius ea legisset quæ in libro Polyhistoris de Mose hono-

(1) Sueton. de illust. Grammat. L. XX.

(2) Plut. de Mus. c. 5. — (3) Val. Max. VIII. 13.

(4) Diog. Laert. I. 11. 116. II. 5. 19. — (5) Athen. Deipn. XI.

(6) Steph. Byz. v. ἀχμονία, ἄμβασον, γάλλος, μανήσιον, Ἰουδαία, ὄμβροι, etc. — (7) Suidas sub voce Μωσώ.

rifice sunt scripta, dubito sane an ipse hæc scripsisset : « Est et alia magices factio a *Mose* et *Jamne* « et *Jotape*, Judæis pendens, sed multis millibus an« norum post Zoroastrem. » Nec videtur Corn. Tacitus, vir in primis eruditus, quidquam de hoc περὶ Ἰουδαίων libro rescivisse : cum enim de Judæis ageret, *Apionem, Lysimachum* et *Chæremonem* aliosque fabularum artifices secutus, nullum omnino verbum a Corn. Alexandro mutuatur. Imo si Corn. Tacitus in hoc libro περὶ Ἰουδαίων hæc comperisset : Mosem numine divino afflatum fuisse; item miraculis claris et multis regem Cherephren ita perterruisse ut Judæis ex Ægypto emigrandi licentiam daret, anne idem, cæteros et nullius notæ scriptores secutus, narravisset : « orta per Ægyptum tabe quæ corpora fœ« daret, regem Bocchorim, adito Hammonis oraculo, « remedium petentem, purgare regnum et id genus « hominum ut invisum diis alias in terras avehere « jussum. Sic conquisitum collectumque vulgus, post« quam vastis locis relictum sit, ceteris per lacrymas « torpentibus, Mosen, unum exsulum, monuisse ne « quam deorum hominumve opem exspectarent, « utrinque deserti, sed sibimet, ut duci cœlesti, cre« derent, primo cujus auxilio credentes præsentes « miserias pepulissent (1). »

Illud igitur perspicuum omnes veteres auctores, præter Eusebium et Flavium Josephum, nullam librorum περὶ Ἰουδαίων mentionem fecisse aut notitiam habuisse.

IV. En vero nova argumenta sunt ex Suida et Stephano Byzantino proferenda, quibus hunc li-

(1) Tac. His. V. c. III.

brum de Judæis spurium esse appareat. Suidas ait Alexandrum Polyhistorem affirmavisse Mosem mulierem Hebræam fuisse, quæ leges Judæis imposuit: Μωσὼ γυνὴ Ἑβραία· ἧς ἐστι σύγγραμμα ὁ παρ' Ἑβραίοις νόμος· ὥς φησιν Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος ὁ Πολυΐστωρ (1). Rursus idem Cornelius Alexander perhibuit Judæam nominis causam habuisse Semiramidis filias, Judam et Idumæam, ut annotavit Stephanus Byzantinus: Ἰουδαία, (φησὶν) Ἀλέξανδρος ὁ Πολυΐστωρ, ἀπὸ τῶν παίδων Σεμιράμιδος, Ἰούδα καὶ Ἰδουμαία (2).

Hic profecto quem Suidas Stephanusque Byzantinus Alexandrum Polyhistorem appellant, alius est ab illo Polyhistore, qui tam accurate apud Eusebium et Josephum de gente Judæa disserit. Prior, Ethnicorum more, Judæis invisus, aut commentis Ægyptiorum deceptus, falsa commemorat; alter vero Judæorum ritu et quasi esset Pharisæorum unus magistraque arte maderet, Hebræorum annales religiose contexit, mendose exornat, magnificentius collaudat.

Jam id satis videmur comprobasse, librum illum qui inscribitur περὶ Ἰουδαίων sub Alexandri Polyhistoris nomine perperam fuisse vulgatum; eumdem autem Judæo cuidam græcissanti adtribuendum.

V. Hæc autem omnia quæ prædixi huc pertinent ut manifeste appareat Fl. Josephum ex spuriis libris plura mutuatum fuisse; atque primum ut constet Josephum hæc Pseudo-Polyhistoris commenta in manibus habuisse, argumento sunt hæc ipsa nostri Flavii verba, ubi in primo Antiquitatum judaicarum libro

(1) Suidas sub voce Μωσώ.

(2) Steph. Byz. sub voce Ἰουδαία.

de Abrahami nepotibus disserens eos Assyriorum Afrorumque parentes esse dixit : « Hujus autem ser« monis testem, ait, Alexandrum Polyhistorem habeo « dum sic loquitur : Cleodemus vates, qui et Mal« chus vocatur, rerum judaicarum historiam con« texens, sicuti fecerat et Moses Judæorum legislator, « narrat Abrahamo natos fuisse plures ex Chatura « liberos. Refert autem illorum etiam nomina, tres « recensens, Apheram, Surim, Japhram. A Suri qui« dem Assyriam appellatam ; a duobus vero, Aphera « et Japhra urbem Aphram et regionem Africam no« men accepisse. Hos porro Herculi contra Libyam « et Antæum militanti, auxilium tulisse ait : Hercu« lem etiam, cum Aphræ filiam uxorem duxisset, ex « illa genuisse Didorum; ex hoc vero Sophonem « prognatum a quo Sophaces inter Barbaros nomen « habent. » Μαρτυρεῖ δέ μου τῷ λόγῳ καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Πολυΐστωρ, λέγων οὕτως· Κλεόδημος δὲ φησὶν ὁ προφήτης, ὁ καὶ Μάλχος, ὁ ἱστορῶν τὰ περὶ Ἰουδαίων, καθὼς καὶ Μωϋσῆς ἱστόρησεν ὁ νομοθέτης αὐτῶν, ὅτι ἐκ τῆς Χατούρας Ἀβράμῳ ἐγένοντο παῖδες ἱκανοί. Λέγει δὲ αὐτῶν καὶ τὰ ὀνόματα, ὀνομάζων τρεῖς, Ἀφέραν, Σουρεὶμ, Ἰάφραν. Ἀπὸ Σουρεὶμ μὲν τὴν Ἀσσυρίαν κεκλῆσθαι· ἀπὸ δὲ τῶν δύο, Ἀφέρα τε καὶ Ἰάφρα, πόλιν τε Ἄφραν καὶ τὴν χῶραν Ἀφρικαν ὀνομασθῆναι· τούτους γὰρ Ἡρακλεῖ συστρατεῦσαι ἐπὶ Λιβύην καὶ Ἀνταῖον· γήμαντά τε τὴν Ἄφρα θυγατέρα Ἡρακλέα γεννῆσαι υἱὸν ἐξ αὐτῆς Δίδωρον, τούτου δὲ γενέσθαι Σοφῶνα, ἀφ' οὗ τοὺς βαρβάρους Σόφακας λέγεσθαι (2).

Alexander *ineptus et jactantior hic paulo est*, ut

(1) Joseph. Op. I. p. 44.

ait Flaccus; sic rursus in lucem erumpentem videmus hanc vanam Judæorum ambitionem qua sese prædicabant gentium omnium stirpem esse, atque orbi terrarum leges et rerum rudimenta tradidisse. Nec dubium quin Josephus ex opere περὶ Ἰουδαίων hæc commenta excerpserit. Namque Eusebius, qui Pseudo-Alexandri librum in manibus haberet, et inde plura describeret, idem addidit Fl. Josephum ejusdem Alexandri Polyhistoris in primo Antiquitatum libro mentionem fecisse : ταῦτα μὲν δὴ ἀπὸ τῆς προειρημένης τοῦ Πολυΐστορος γραφῆς· καὶ ὁ Ἰώσηπος δὲ ἐν τῇ πρώτῃ τῆς Ἀρχαιολογίας τοῦ αὐτοῦ μνημονεύει (1).

Inde pro certo est hunc librum spurium et perperam Corn. Alexandro adscriptum atque eumdem Josepho notum fuisse. Nunc pergere licet ad cæteros.

V.

An genuina sint quæ Beroso Josephus adscribit.

Quicumque turpi fraude semel innotuit
Etiamsi verum dicit amittit fidem (2).

His verbis sapienter monet Phædrus ut caveas quem semel mentientem deprehenderis et ne rursus impune te decipiat arrectus circumspicias. Suspiciendum igitur ne fragmenta quæ Beroso Pseudo-Polyhistor adscribit aniles sub falso cortice fabulas et nænias obtegant. Nec tamen æquum sit hominem increpare et damnare, antequam causa discutiatur, argumenta proferantur, testes in medio sint. Proh! hominum fidem!

(1) Eus. Præp. Evang. lib. IX. c. xx.
(2) Phæd. fab lib. I. F. X.

Vide testes quales prodeant! quam multi et clari viri Beroso suppetias laturi properent!

I. Etenim Thomas Stanlejus et Jacobus Bruckerus Berosum plurimi faciunt, laudibus exornant; illum de mundi ortu, de pisce Oanne, de muliere Omoraka audiendum declarant (1). Jonsius omnem quoque fidem Beroso adhibet eumque philosophorum gregi annumerat (2); eumdem vir haud levis sane judicii Bossuetus, profert et proferentes comprobat Josephum et Eusebium (3) : quam sententiam sequi et exscribere Calmetus non dubitat in docta de Chaldæis dissertatione (4). Itidem venerandi viri Petavius et Alph. Desvignolles nostrum hominem, ubi de Babylonicis antiquitatibus tractant, testem postulant, et, illo facem præferente, omnem hanc perobscuram de Chaldæis quæstionem conantur dilucidare (5). Istis autem adstipulatur bonus ille Perronus, qui quidem quod plures annos veterum annalibus impalluerit, censet chaldaicas origines, genuinas habendas esse, utpote

(1) Stanleji. Hist. philos. p. XIII. 5. c. vi. — Bruckeri Hist. Phil. I. p. 129-131.

(2) Jons. script. Philos. lib. III. c. iv. 4.

(3) Si je voulais rapporter ce que nous racontent les annales des Syriens, un Berose, un Abydénus, un Nicolas de Damas, je ferais un trop long discours. Joseph et Eusèbe de Césarée nous ont conservé les précieux fragments de tous ces auteurs. Bossuet. Disc. sur l'hist. univ. I. part. vii. époque.

(4) Calmet. dissert. sur la Chronol. des Chaldéens, etc., dans ses Comment. sur les livres de l'Ancien Testam. tome I. p. 83.

(5) Petav. Doct. temp. p. 518.— Desvignolles. Chronol. de l'hist. sainte. p. 637.

ex Eusebii, et Syncelli libris, deprompt as (6). Denique Berosum in testimonium vocavere amplissimi viri, Freretus (1) Dodwellusque (2), sexcentique alii quos omnes enumerare nimis longum sit (3).

Fateor, ære triplici mihi circa pectus opus esse, ut Berosum tam multis et tam claris scriptoribus stipatum unus oppugnare audeam. Quid vero, si hunc eumdem Chaldæum hominem nonnulli summi auctores impugnatum venient? Quid si jam pugnam commisere? Sane impavido et æquo marte certabitur. En vero primum Scaligerum virum maxime perspicacem, qui quidem, ubi de muliere Omoraca cursim tractat, hæc Berosi scripta censet παρανοθεύματα esse (1) itidem Conringius Chaldæorum historico refragatur, ejusque annales meras fabulas esse contendit: « Regum (chaldæorum), ait, cum nomina, tum anni,

(6) Perron. Antiq. des temps retablies. p. 129-148.

(1) Freret. Mém. de l'Acad. des inscript. et belles-lettres. t. V. mém. p. 364; t. VI. mém. p. 178-179; t. XXIII. mém. p. 133.—(2) Dodwell. dissert. Cyprian. p. 84. ed. 1684.

(3) Cf. Anquetil du Perron. Mém. de l'Acad. des inscript. et belles-lettres. t. XL. p. 436. — Buddei. hist. Ecclesiast. vet. Testam. t. I. p. 230. 475. — Ricciolii Chron. reform. t. II. p. 7. — Funcii Chron. p. 10. ed. 1570. — Reineri Reinecii Synt. de fam. quæ in monar. trib. prior. rerum potitæ sunt. t. I. p. 7-9. ed. 1574. — Burnetti. Telluris Theoria sacra. p. 99.— Archæol. Philos. p. 350. — Schœll. Lit. grec. t. III. p. 211. 212. — Wisemann. Connexion between science and revealed religion. t. II. — G. Hupfeld: Exercitationum Herodotearum specimen. I. sive de rebus Assyriorum p. 8. 12. 13. 43.

(4) Thesaur. temporum cum Eusebii fragmentis græcis j. j. Scaligero edente. Scal. notæ Euseb. Chron. p. 408.

« incerta admodum fide videntur niti, imo confi-« cta potius quam vera accepta traditione (1). » In eamdem hanc sententiam eunt summi viri Alstedius (2), Salianus (3) et Strauchius (4); nec licet prætermittere Perizonium opportune fatentem : « Ut dicam quod sentio, vix possum mihi « persuadere a Beroso profecta aut scripta quæ Syn-« cellus tanquam ex Alexandro et Beroso refert. » Adde quod præstantes philosophiæ historici, nempe Tennemannus et Ritterus minime dubitant affirmare hanc chaldaicam cosmogoniam a vero alienam et Beroso perperam fuisse adscriptam (5). Quibus consentiens Wachlerus, hos eosdem Chaldæorum annales a græculo quodam confictos esse suspicatur et sub Berosi nomine vulgatos quo majorem fidem omnibus injicerent (6). Denique ille Joannes Dan. Richterus, vir non indoctus, qui quidem novissime hujusce Chaldaicæ historiæ fragmenta edidit et illustravit, hoc pacto scribendi initium facit : « Berosum patria « Babylonium (si omnino, quod a nonnullis dubitatum « est, eum vixisse sumamus), nomen jam ipsius in-« nuere videtur (7). »

Itaque videntur sapientissimi viri de Beroso om-

(1) Conring. de Asiæ et Ægypt. antiq. dynast. c. VIII. 41.
(2) Alstedii Thesaur. Chron. p. 163. ed. 1637.
(3) Salian. Annal. vet. Test. I. p. 206-208.
(4) Strauch. Breviar. Chron. lib. IV. p. 363.
(5) Tennemann. Grundiss der Geschichte der Philosophie. § 71. — Ritter, Geschichte der Philosophie. t. I.
(6) In : Encyclopædie der Wissenschaften und Künste von Ersch und Gruber etc. sub voce : Berosos. Cf. Meiners, hist. doctrinæ de vero Deo. P. I. p. 76 et sqq. in multis Berosi fidem impugnat. — (7) Richter : Berosi Chaldæorum historiæ quæ supersunt, Lips. 1825.

nino dissentire et inter se acriter pugnare. Nil autem impedit quin toto virium nisu pugnent; equidem haud consilium inivi memet in medios hostes, Sabinarum more, injiciendi, et certantium iras dirimendi : at contra certamen redintegrare, nova arma certantibus afferre juvat si quo tandem pacto res possit confici.

II. In primo contra Apionem libro, ubi Josephus ea tractat quæ de judicaa gente Chaldæorum scriptis mandata sunt, ea ipsa declarat cum libris sacris in multis consentire. « Testem adhibeam, ait, Berosum, virum « quidem Chaldæum, iis vero non ignotum qui in « literarum studiis versantur, quoniam scripta de « astronomia et Chaldæorum philosophia ipse Græco- « rum in usum edidit. Is igitur Berosus antiquissimas « secutus historias, de Diluvio et hominibus in eo « pereuntibus eadem plane ac Moyses narravit : simul « et de arca *in qua Noachus generis nostri princeps « servatus est*, ipsa scilicet in summitatem montium « Armeniorum delata. Deinde *ortos a Noacho nume- « rans* et sua quibusque tempora assignans ad Nabo- « pollasarum tandem venit, Babylonis et Chaldæorum « regem, resque ab eo gestas memorans refert quemad- « modum in Ægyptum et terram nostram misso filio « Nabuchodonosoro multis cum copiis, postquam eos « defecisse intellexit, omnes devicit et templum Hie- « rosolymitarum incendit.

Μάρτυς δὲ τούτων Βηρωσσὸς ἀνὴρ Χαλδαῖος μὲν τὸ γένος, γνώριμος δὲ τοῖς περὶ παιδείαν ἀναστρεφομένοις, ἐπειδὴ περί τε ἀστρονομίας καὶ περὶ τῶν παρὰ Χαλδαίοις φιλοσοφουμένων αὐτὸς εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξήνεγκε τὰς συγγραφάς. Οὗτος τοίνυν ὁ Βηρωσσὸς ταῖς ἀρχαιοτάταις ἐπα-

κολουθῶν ἀναγραφαῖς, περί τε τοῦ γενομένου κατακλυσμοῦ καὶ τῆς ἐν αὐτῷ φθορᾶς τῶν ἀνθρώπων, καθάπερ Μωϋσῆς οὕτως ἱστόρηκε· καὶ περὶ τῆς λάρνακος, ἐν ᾗ Νῶχος ὁ τοῦ γένους ἡμῶν ἀρχηγὸς διεσώθη, προσενεχθείσης αὐτῆς ταῖς ἀκρωρείαις των Ἀρμενίων ὀρῶν. Εἶτα τοὺς ἀπὸ Νώχου καταλέγων, καὶ τοὺς χρόνους αὐτοῖς προστιθεὶς, ἐπὶ Ναϐολάσσαρον παραγίνεται, τὸν Βαϐυλῶνος καὶ Χαλδαίων βασιλέα, καὶ τὰς τούτου πράξεις ἀφηγούμενος λέγει, « τίνα τρόπον πέμψας ἐπὶ τὴν Αἴγυπτον καὶ ἐπὶ τὴν ἡμετέραν γῆν τὸν ἑαυτοῦ Ναϐουχοδονόσορον μετὰ πολλῆς δυνάμεως, ἐπειδήπερ ἀφεστῶτας αὐτοὺς ἐπύθετο, πάντων ἐκράτησε, καὶ τὸν ναὸν ἐνέπρησε τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις (1). » Num stricte animadvertisti, bene intellexisti hæc Fl. verba : Βηρωσσὸς ἱστόρηκε περὶ τῆς λάρνακος, ἐν ᾗ Νῶχος ὁ τοῦ γένους ἡμῶν ἀρχηγὸς διεσώθη? Num sequentium horum rationen habuisti : εἶτα τοὺς ἀπὸ Νώχου καταλέγων? Minime dubitas quin Berosus Noachi ipsius, imo progeniei ejus mentionem fecerit, ac singulos etiam nominatim recensuerit : quantum vero hanc callidam mirabere nostri Josephi artem, cum Berosi reliquiis, quas Eusebius in Chronicis asservavit, diligenter perlectis, nec Noachum nec Noachi progeniem usquam memoratum invenies; Xisuthrum vero videbis in Noachum fuisse conversum, propterea quod prioris nomen Hebraicæ linguæ non satis consonaret. At iniquum esse arbitror propter hanc levem fallaciam hominem vexare; nec ea de re disserere interest; totus ille Berosus in discrimen fidei suæ venit et de auctoritate Chaldæorum annalium jam est inquirendum. Hoc vero ut liquidius discutiatur, proposito conducere censeo illam Berosi de Diluvio hic describere narra-

(1) Flav. Joseph. Op. II. p. 450. edit. Havercamp.

tionem, quam quidem non ex ipsis Berosi scriptis, sed ex Pseudo-Alexandri libro expromptam habuit et servavit Eusebius :

« III. Defuncto Otiarte (1), inquit Berosus, filium « hujus Xisuthrum tenuisse regnum saris octodecim, « sub eoque magnum diluvium esse conflatum. Sic « autem accuratius narrationem scripto persequitur. « Κρόνον, ait, illi in somno prædixisse die quintade- « cima Dæsii fore ut homines a diluvio perirent. « Mandavisse itaque ut libros omnes, primos nimirum, « medios et ultimos, terræ infossos in solis urbe Sip- « paris poneret : tum navim strueret, eamque cum « consanguineis carisque familiaribus conscenderet : « congestisque illuc esculentis atque poculentis, indu- « ctis etiam belluis et volatilibus ac quadrupedibus « cunctaque supellectile, paratus esset ad navigandum. « Quærenti autem quonam cursus dirigendus esset? « respondisse, ad deos, ad orandum quo hominibus « esset. Eum vero haud recusasse quominus navigium « compingeret, longum stadia quinque, latum duo :

(1) Ἀρδάτου τελευτήσαντος, τὸν υἱὸν αὐτοῦ Ξίσουθρον βασιλεῦσαι σάρους ὀκτωκαίδεκα· ἐπὶ τούτου μέγαν κατακλυσμὸν γενέσθαι· ἀναγράφεσθαι δὲ τὸν λόγον οὕτως. Τὸν Κρόνον αὐτῷ κατὰ τὸν ὕπνον ἐπιστάντα φάναι, μηνὸς δαισίου πέμπτῃ καὶ δεκάτῃ τοὺς ἀνθρώπους ὑπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ φθαρήσεσθαι. Κελεῦσαι οὖν διαγραμμάτων πάντων ἀρχὰς καὶ μέσα καὶ τελετὰς ὀρύξαντα θεῖναι ἐν πόλει ἡλίου Σιππάροις, καὶ ναυπηγησάμενον σκάφος ἐμβῆναι μετὰ τῶν συγγενῶν καὶ ἀναγκαίων φίλων· ἐνθέσθαι δὲ βρώματα καὶ πόματα, ἐμβαλεῖν δὲ καὶ ζῶα πτηνὰ καὶ τετράποδα, καὶ πάντα εὐτρεπισάμενον πλεῖν. Ἐρωτώμενον δὲ ποῦ πλεῖ; φάναι, πρὸς τοὺς θεοὺς, εὐξάμενον ἀνθρώποις ἀγαθὰ γενέσθαι. Τὸν δὲ οὐ παρακούσαντα, ναυπηγήσαντα σκάφος, τὸ μὲν μῆκος σταδίων πέντε, τὸ δὲ πλάτος σταδίων δύο· τὰ δὲ συνταχθέντα πάντα συνθέσθαι, καὶ γυναῖκα καὶ τέκνα, καὶ τοὺς ἀναγκαίους φίλους ἐμβιβάσαι.

« cuncta, quæ mandata sibi fuerant, efficienda cu- « rasse : uxorem, filios, carosque familiares eodem « introduxisse. Ingrúente demum diluvio et mox « decrescente, misisse Xisuthrum quædam volatilia, « quæ quum neque escam neque locum, in quo con- « siderent, invenissent, reversa in navim recepta sunt. « Rursus diebus aliquot post emisisse aves alias, quæ « item ad navim regressæ sunt pedibus luto infectis. « Tertio denique demissæ aves quum ad navim non « reverterentur, cognovisse Xisuthrum terram prorsus « esse patefactam. Tunc navis tecto partim effracto, « navim ipsam monti cuidam innitentem vidisse : « moxque ipsum cum uxore filiaque una et navis « architecto exscendisse, ac pronum terram esse vene- « ratum, structaque ara diis sacrum obtulisse : quo « facto, cum iis qui secum navi exierant, nusquam « comparuisse. Reliquos autem qui in navi substite- « rant, neque cum Xisuthri comitatu egressi erant, « facta mox exscensione, eum quæritàsse ober- « rantes et nomine inclamasse. At vero Xisuthrum « haud ultro se conspiciendum dedisse; voce tantum

Γενομένου δὲ τοῦ κατακλυσμοῦ, καὶ εὐθέως λήξαντος, τῶν ὀρνέων τινὰ τὸν Ξίσουθρον ἀφιέναι· τὰ δὲ οὐ τροφὴν εὑρόντα οὔτε τόπον ὅπου καθίσαι, πάλιν ἐλθεῖν εἰς τὸ πλοῖον. Τὸν δὲ Ξίσουθρον πάλιν μετὰ τινὰς ἡμέρας ἀφιέναι τὰ ὄρνεα· ταῦτα δὲ πάλιν εἰς τὴν ναῦν ἐλθεῖν τοὺς πόδας πεπηλωμένους ἔχοντα. Τὸ δὲ τρίτον ἀφεθέντα οὐκ ἔτι ἐλθεῖν εἰς τὸ πλοῖον. Τὸν δὲ Ξίσουθρον ἐννοηθῆναι γῆν ἀναπεφηνέναι· διελόντα τε τῶν τοῦ πλοίου ῥαφῶν μέρος τι, καὶ ἰδόντα προσωκεῖλαν τὸ πλοῖον ὄρει τινὶ ἐκβῆναι μετὰ τῆς γυναικὸς καὶ τῆς θυγατρὸς καὶ τοῦ κυβερνήτου, προσκυνήσαντα τὴν γῆν, καὶ βωμὸν ἱδρυσάμενον, καὶ θυσιάσαντα τοῖς θεοῖς, γενέσθαι μετὰ τῶν ἐκβάντων τοῦ πλοίου ἀφανῆ. Τοὺς δὲ ὑπομείναντας ἐν τῷ πλοίῳ, μὴ εἰσπορευομένων τῶν περὶ τὸν Ξίσουθρον ἐκβάντας ζητεῖν αὐτὸν ἐπὶ ὀνόματος βοῶντας· τὸν δὲ Ξίσουθρον αὐτὸν μὲν αὐτοῖς οὐκ ἔτι ὀφθῆναι, φωνὴν

« ex aere missa, deos ut colerent mandavisse : nam et « religiosæ pietatis ergo ad deorum venisse habita- « cula, eodemque honore uxorem quoque suam et « filiam et navis architectum frui. Tum iisdem impe- « rasse ut Babylonem redirent, et ex deorum man- « dato, qui in Sipparis urbe conditi fuerant, libros « effoderent atque hominibus traderent; locum autem « in quo nave egressi tunc institerint Armeniorum esse « regionem. Hæc omnia edoctos celebrato diis sacri- « ficio Babylonem pedestri itinere contendisse. Ejus « navigii, quod demum substitit in Armenia; frag- « mentum aliquod in Cordyæorum Armeniaco monte « nostra adhuc ætate reliquum esse aiunt. Quin et « erasum bitumen quidam inde referunt remedii amu- « letique causa ad infausta quæque averruncanda.

« Illi autem Babylonem profecti libros ex urbe « Sipparis effodisse, oppida multa condidisse, fana « deorum struxisse, Babylonemque restituisse ferun- « tur. Quæ hactenus dicta sunt prætereaque turris « ædificium memorat Polyhistor pæne ad litteram « cum libris Mosis hoc pacto consentiens. »

Hic forsan aliquis calumniabitur et dubitavit an nimirum idem ille sit hicce Berosi locus, quem Josephus perlectum retulerit. Atenim res ipsa li-

δὲ ἐκ τοῦ ἀέρος γενέσθαι κελεύουσαν, ὡς δέον αὐτοὺς εἶναι θεοσεβεῖς· καὶ γὰρ αὐτὸν διὰ τὴν εὐσέβειαν πορεύεσθαι μετὰ τῶν θεῶν οἰκήσοντα· τῆς δὲ αὐτῆς τιμῆς καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ τὴν θυγατέρα καὶ τὸν κυβερνήτην μετεσχηκέναι. Εἶπέν τε αὐτοῖς ὅτι ἐλεύσονται πάλιν εἰς Βαβυλῶνα· καὶ ὡς εἵμαρται αὐτοῖς, ἐκ Σιππάρων ἀνελομένοις τὰ γράμματα διαδοῦναι τοῖς ἀνθρώποις· καὶ ὅτι ὅπου εἰσὶν, ἡ χώρα Ἀρμενίας ἐστί. Τοὺς δὲ ἀκούσαντας ταῦτα θῦσαί τε τοῖς θεοῖς, καὶ πεζῇ πορευθῆναι εἰς Βαβυλῶνα. Ex Syncello. p. 30. — Veterum scriptorum nova collect. edit. ab Angelo Maio. VIII. p. 14-17.

quet: collata tamen simul Flaviana quædam ponantur atque Eusebii; hinc comperies hanc de Xisuthri diluvio narrationem in eodem fonte, nempe in spurio περὶ Ἰουδαίων libro, a Josepho et Eusebio inventam, et inde depromptam:

Josephus in ant. Jud. lib. I. capite III.	Alexander Polyhistor, apud Eus. Chron. Ed. Ang. Maio. p. 14.
Βηρωσσὸς ὁ Χαλδαῖος· διηγούμενος γὰρ τὰ περὶ τὸν κατακλυσμὸν, οὕτω διέξεισι. Λέγεται δὲ καὶ τοῦ πλοίου ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδυαίων ἔτι μέρος τι εἶναι, καὶ κομίζειν τινὰς τῆς ἀσφάλτου ἀφαιροῦντας. Χρῶνται δὲ μάλιστα οἱ ἄνθρωποι τῷ κομιζομένῳ πρὸς τοὺς ἀποτροπιασμούς.	Τοῦ δὲ πλοίου τούτου κατακλιθέντος ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ ἔτι μέρος τι αὐτοῦ ἐν τοῖς Κορδυαίων ὄρεσι τῆς Ἀρμενίας διαμένειν, καί τινας ἀπὸ τοῦ πλοίου ἀποξύοντας ἄσφαλτον, χρᾶσθαι δὲ αὐτῇ πρὸς τοὺς ἀποτροπιασμούς.

Profecto hæc ad somnum infantibus arcessendum nutrix aliqua excogitaverit! Quid! mirabilis istius navigii magis mirabilia fragmenta superesse! imo, bitumen sacrum illud quod Noachus sacris suis finxit manibus et navis parietibus induxit, superesse! Quin etiam, hac pice antiqua morbos et hominum miserias amoveri! Credas porro Polyhistorem cum aliquo hujus temporis pharmacopola, qui unguentum istud divenderet, amicitia esse conjunctum. Oh! impudentem hominem! de quo vix decet stomachari; ad graviora præstat pergere.

Noster Pseudo-Polyhistor, hac de diluvio narratione peracta, sese protinus accingit ut, Beroso juvante, de turris Babylonicæ exstructione disserat, et continuo auctor est Sibyllam dixisse: omnes homines una lin-

gua utentes, turrim admodum altam ut cœlum scanderent exstruxisse; quam, venti afflatu deos dejecisse, peculiaremque singulis sermonem tribuisse; hinc urbem Babylonem esse appellatam: Σίϐυλλα δέ φησιν ὁμοφώνων ὄντων πάντων ἀνθρώπων τινὰς τούτων πύργον ὑψηλότατον οἰκοδομῆσαι, ὅπως εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναϐῶσιν· τοὺς δὲ θεοὺς ἀνέμους ἐμφυσήσαντας ἀνατρέψαι τὸν πύργον, καὶ ἰδίαν ἑκάστῳ φωνὴν δοῦναι· διὸ δὴ Βαϐυλῶνα τὴν πόλιν κληθῆναι (1).

Cum Josephus omnia diligenter inquireret, quæ sacræ scripturæ consonarent, hæc a Pseudo-Polyhistore mutuatus est eaque in primo Judaicarum antiquitatum libro ad verbum retulit. Male igitur Dodwellum arguisse hæc a Josepho fuisse conficta, apparet ex eo quod hæc eadem fragmenta in Pseudo-Polyhistoris libro antea exstarent. Fortasse subjicies hæc ante Polyhistorem scripta fuisse, quoniam in libro tertio sibyllinorum vaticiniorum carmina nonnulla de turris exstructione leguntur (2) : quo vero tempore sibyllina carmina exarata fuerint et quis ea finxerit plane incertum. Illud unum patet hæc fuisse a Judæo quodam græcissante composita.

(1) Scrip. Veter. Vatic. coll. ab Ang. Maio edita. VIII. p. 17.

(2) Ἀλλ' ὁπόταν μεγάλοιο Θεοῦ τελέωνται ἀπειλαὶ
Ἅς ποτ' ἐπηπείλησε βροτοῖς, οἳ πύργον ἔτευξαν
Χώρῃ ἐν Ἀσσυρίῃ, ὁμόφωνοι δ' ἦσαν ἅπαντες
Καὶ βούλοντ' ἀναϐῆν' εἰς οὐρανὸν ἀστερόεντα·
Αὐτίκα δ' ἀθάνατος (μεγάλην ἐπέθηκεν ἀνάγκην)
Πνεύμασιν· αὐτὰρ ἔπειτ' ἄνεμοι μέγαν ὑψόθι πύργον
Ῥίψαν, καὶ θνητοῖσιν ἐπ' ἀλλήλοις ἔριν ὦρσαν·
Τούνεκά τοι Βαϐυλῶνα βροτοὶ πόλει οὔνομ' ἔθεντο.
Αὐτὰρ ἐπεὶ πύργος τ' ἔπεσε γλῶσσάν τ' ἀνθρώπων
Παντοδαπαῖς φωναῖσι διέστρεφον. κ. τ. λ.

Ut vero dicam de sibylla quod animi conjectura suspicor (1), eam in Judæorum Alexandrinorum schola natam et educatam et vaticinatam et eamdem per somnia Berosi cujusdam vitam auspicatam fuisse conjicio : sic B. Justinum interpretari velis ubi ait sibyllam Berosum patrem habuisse, matrem vero Erymantem. Quid igitur si hæc sibyllina verba et Xisuthri Diluvii narrationem simul et æqua lance dijudicabis? Si hæc falsa senseris et inter fabulas ablegaveris, de cæteris haud injuria præjudicatum erit. Pergamus tamen ac nova portenta percenseamus.

Accipimus nostrum Pseudo - Polyhistorem, et bonum hominem Berosum de Adamo et Seth meminisse ac de longæva eorum ætate sacris libris consonantia edidisse. Hæc enim in Chronographo Barberiniorum, ut summus cardinalis Ang. Maius affirmat, leguntur : « Primum regnum fuisse Chaldaicum « commemorant viri scientia inclyti, Alexander Po- « lyhistor, Berosus, Abydenus, et Apollodorus : qui « quidem narrant primos homines sine regibus annos « mille et quinquaginta octo vixisse : dicunt Adamum « annos nongentos et triginta explevisse, filium ejus « Seth centum et duodeviginti. » Πρώτην πασῶν ἀναγράφουσι τὴν Χαλδαίων βασιλείαν ἄνδρες ἐν παιδεύσει γνώριμοι, Ἀλέξανδρος ὁ Πολυΐστωρ, Βηρωσσὸς καὶ Ἀβυδηνὸς καὶ Ἀπολλόδωρος, οἳ πρῶτον μὲν ἱστοροῦσιν ἀβασίλευτα ἔτη ανη' φασὶ γὰρ Ἀδὰμ τὸν πρῶτον ἄνθρωπον ἡγήσασθαι τὸν τῆς ζωῆς αὐτοῦ χρόνον ἔτη πλ' μετὰ δὲ τούτου Σὴθ τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἔτη ρκη· (2) Non possum quin ex-

(1) Exspecto etiam nunc de hac quæstione alteram partem Sibyllinorum editionis a v. doct. Car. Alexandro inchoatæ.

(2) Veterum script. collect. Vatic. t. VIII. p. 7.

clamem : Judæi sycophantæ sunt isti; judaicos contexere annales gaudent et Chaldaico fuco exornare, quo majorem sacræ scripturæ libri apud Ethnicos fidem obtineant. Hæc omnia jure, ut opinor, dubium subjiciunt an genuina sint ea quæ de diluvio scripta sub nomine Berosi apud Eusebium et Josephum leguntur. Decurramus autem ad hanc ipsam de diluvio narrationem accurate explorandam.

IV. Haud negare velim nonnullos veteres scriptores scilicet Apollodorum (1) et B. Theophilum (2), atque Eusebium et B. Cyrillum (3) hujusce de diluvio narrationis meminisse. At quum his scriptoribus parvum sit in dijudicandis testimoniis acumen, nec inter eos ullus sit qui hanc fabulam in libris Berosi ipsius legerit, contra omnes certatim mutuati sint alii ex Alexandro Polyhistore, ut Josephus, Eusebius et Apollodorus, alii ex Josepho, ut B. Theophilus; huc tota hujus disputationes ratio recidit an ille Berosus, quem laudat Polyhistor, hanc de diluvio narrationem scripserit. Jamque illud metuendum, ne, hac disquisitione peracta, noster Berosus spurius et nugarum concinnator evadat.

Hunc eumdem Berosum testem advocat Tatianus, ubi de Judæorum antiquitate disserens nulla argumenta quæ proposito cohæreant omittit. Tatianus vero, genere Assyrius, in Mesopotamia plures annos docuisse dicitur, unde inferre queas illum in Chaldæorum libris penitus esse versatum. Qui quidem sequentibus verbis demonstrat Berosi scripta cum sacra scriptura consentire :

(1) Apoll. apud Syncell. p. 39.—(2) B. Theoph. ad Autol. lib. III. p. 400. ed. Wolfii.—(3) B. Cyrill. I. in Julianum p. 8.

« Berosus Babylonius, Beli apud Babylonios sa-
« cerdos, qui Alexandro æqualis fuit, et tertio post
« eum Antiocho historiam Chaldæorum tribus libris
« inscripsit, ac res gestas regum exposuit, quemdam
« ex eis commemorat nomine Nabuchodonosorum,
« a quo suscepta in Phœnices et Judæos expeditio;
« ac multo quidem Mosis ætate serius contigisse,
« annis videlicet ante Persarum imperium septua-
« ginta. Est autem Berosus longe doctissimus scriptor,
« cujus rei argumentum est, quod Juba de rebus
« Assyriorum scribens historiam se a Beroso didicisse
« declarat. Scripsit autem libros duos de rebus gestis
« Assyriorum.

Βηρωσσὸς ἀνὴρ Βαβυλώνιος, ἱερεὺς τοῦ παρ' αὐτοῖς Βήλου, κατ' Ἀλέξανδρον γεγονὼς, Ἀντιόχῳ τῷ μετ' αὐτὸν τρίτῳ τὴν Χαλδαίων ἱστορίαν ἐν τρισὶ βιβλίοις κατατάξας, καὶ τὰ περὶ τῶν βασιλέων ἐκθέμενος, ἀφηγεῖται τινὸς αὐτῶν ὄνομα Ναβουχοδονόσωρ τοῦ στρατεύσαντος ἐπὶ Φοίνικας καὶ Ἰουδαίους· ἅ τινα διὰ τῶν καθ' ἡμᾶς προφητῶν ἴσμεν κεκηρυγμένα, γεγονότα μὲν πολὺ τοῦ Μωϋσέωσ ἡλικίας κατώτερον, πρὸς δὲ τῶν Περσῶν ἡγεμονίας ἔτεσιν ἑβδομήκοντα. Βηρωσσὸς δέ ἐστιν ἀνὴρ ἱκανώτατος, καὶ τούτου τεκμήριον Ἰόβας, ὃς περὶ Ἀσσυρίων γράφων, παρὰ Βηρωσσοῦ φησὶ μεμαθηκέναι τὴν ἱστορίαν. Εἰσὶ δὲ αὐτῷ βίβλοι περὶ Ἀσσυρίων δύο. Tatian. Orat. Cont. Græc. p. 273, Ed. Bened.

Qui fit ut Tatianus de Xisuthri diluvio taceat? Cum nonnulla apud Berosum inveniantur sacræ scripturæ consentanea, atque simul hæc proposito conducant, ad illud unum attendit ut probet quæ Judæorum libri de Nabuchodonosore mandaverant eadem fuisse in Berosi annalibus conscripta. Idem

de B. Clemente Alexandrino dici potest qui, repudiato Josephi et Polyhistoris testimonio, Tatiani vestigiis insistit, nullaque facta de Xisuthro mentione, duntaxat de Nabuchodonosore rege disserit (1).

Nec minus Africanum mirabere maxime eruditum virum, quod, ubi de Nabuchodonosore agit, Berosi meminerit, nullam vero hujusce mentionem habuerit, cum prolixiorem de diluviis Ogygis et Deucalionis sermonem accurate duceret (2). Quæ causa igitur cur hi auctores, amplitudine quadam scientiæ excellentes, argumenta meliora prætermitterent, minora adhiberent? Quî fit ut ipse Origenes et item ille quem cum doctrina non mediocri confutavit, Celsus scilicet, postquam invicem instituissent de Chaldæorum origine et philosophia disputare atque de diluvio Noachi et Deucalionis plura discutere, omnino de Xisuthro et Beroso conticescant (3)?

V. Huc præterea addendum quod quædam videamus repugnantia ex eodem nostro Beroso, alia apud Josephum et Alexandrum Polyhistorem, alia apud Caium Plinium Secundum proferri. Narrat Josephus primos homines longissimam vitam usque ad sexcentos annos produxisse et hæc eadem declarat a Beroso confirmari : « tum propter studium virtutis, ait, tum propter accurationem Astrologiæ et Geometriæ, quas ipsi artes invenerant, usum et experientiam, Deus illis prolixiorem largitus est vitam. Quippe qui nisi ad sexcentos annos (totidem

(1) B. Clem. Alex. I. Strom. p. 391. ed. Oxon.
(2) Afric. Chron. in Rel. Sac. Routh. II. p. 158-161.
(3) Orig. Cont. Cels. IV. c. 12. VI. c. 26.

« enim magnus annus absolvitur) vivendo attigissent,
« nihil certi prædicere potuissent. Testes autem mihi
« sunt quotquot Græcos inter Barbarosque antiqui-
« tates litteris prodiderunt; nam et Manetho.... et
« Berosus chaldaïcarum auctor mihi suffragantur. »

Δι' ἀρετὴν καὶ τὴν εὐχρηστίαν, ὧν ἐπενόουν, ἀστρολογίας καὶ γεωμετρίας, πλέον ζῆν τὸν Θεὸν αὐτοῖς παρασχεῖν. Ἅπερ οὐκ ἦν ἀσφαλῶς αὐτοῖς προειπεῖν, μὴ ζήσασιν ἑξακοσίους ἐνιαυτούς· διὰ τοσούτων γὰρ ὁ μέγας ἐνιαυτὸς πληροῦται· μαρτυροῦσι δέ μου τῷ λόγῳ πάντες οἱ παρ' Ἕλλησι καὶ παρὰ βαρβάροις συγγραψάμενοι τὰς ἀρχαιολογίας· Καὶ γὰρ καὶ Μανεθὼν, ὁ τὴν τῶν Αἰγυπτίων ποιησάμενος ἀναγραφὴν, καὶ Βηρωσσὸς..... συμφωνοῦσι τοῖς ὑπ' ἐμοῦ λεγομένοις (1).

Alia quæ ab istis Berosi verbis plane discrepant apud Caium Plinium invenies, ubi, de ultima meta humanæ vitæ disserens, ait Hellanicum auctorem esse quosdam in Ætolia Epiorum gentis CC annos explevisse; Ephorum, Arcadum regem CCC annos; Mucianum, in Tmoli montis cacumine, quod vocant Tempsin, homines CL annis vixisse; ac continuo subjicit : « Po-
« cere videtur locus ipse sideralis scientiæ senten-
« tiam. Epigenes CXII annos impleri negavit posse,
« Berosus excedi CXVI (2). » Hæc eadem confirmat Censorinus qui de die natali scribens ait : « Epige-
« nem in centum duodecim annis longissimam vitam
« constituisse, Berosum autem in centum sexdecim (3). »

Ex hoc Caii Plinii loco sane suspicio subit hunc

(1) Flav. Jos. op. I. p. 17. ed. Havercamp.
(2) Plin. Hist. nat. lib. VII. c. 49.
(3) Censor. lib. de die nat. c. 17.

Berosum alium esse ab eo, de quo Cornelius Alexander mentionem fecit: immo, commentitia esse quæ Polyhistor edidit, hinc colligi potest quod omnes veteres auctores consentiant eumdem de astronomia et de rebus Babylonicis libros composuisse.

Contextum vero horum περὶ τῶν Βαβυλωνικῶν librorum, quos tres numero Berosus exscripsit, idem Alexander explicuit. Cui si fidem adhibeamus, in primo hujus operis libro omnia continebantur quæ de creatione omnium rerum fuere tradita. Atqui, nonnullis de origine hujusce mundi prædictis, hoc pacto Berosus apud Polyhistorem narrare pergit : « Belum, aiunt, scissis tenebris terram a cœlo sepa-« ravisse, pulchreque mundum disposuisse : belluas « autem non sustinentes lucis vim exanimatas esse; « tunc Belum, qui regionem desertam, attamen fera-« cem, cerneret, cuidam e diis imperavisse ut cum « sanguine, qui e suo capite abscisso deflueret terram « subigeret atque homines fingeret, cum ceteris bru-« tis et belluis quæ hunc aerem pati possent. Belum « item stellas et solem et lunam et quinque sidera « errantia condidisse, hæc, Polyhistore teste, Berosus « primo libro narrat; secundo autem item reges sin-« gillatim perscribit (1). »

Hinc plane vides in primo Berosi libro, nullam de solemnibus Babylonicis descriptionem factam fuisse. Nemo enim potuisset fabulari (nisi idem fabulas contexendi artem a Josepho didicisse) homines in lucem venturos jam urbes ædificavisse, sacra perfecisse, festos dies egisse. Conferantur autem cum his Corn. Alexandri verbis quæ Athenæus e decimo quarto

(1) Vet. Script. collect. Vaticana. t. VIII. p. 12.

Deipnosophistarum libro sese ex Beroso excerpsisse dicit : « Berosus , *in primo Babylonicorum libro* « *scripsit,* mensis Loï decimo sexto die, per quinque « dies Babylone festum celebrari, *Saceas* nominatum, « cujus tempore mancipia dominis imperant, et ex « servis unus quidam præest ædibus, vestem indutus « regiæ similem; illumque *Zoganam* vocant. Hujus « festi meminit et Ctesias in Persicis. »

Βηρωσσὸς δ' ἐν πρώτῳ Βαβυλωνιακῶν, τῷ Λώῳ φησὶ μηνὶ ἑκκαιδεκάτῃ ἄγεσθαι ἑορτὴν Σακέαν προσαγορευομένην ἐν Βαβυλῶνι ἐπὶ ἡμέρας πέντε, ἐν αἷς ἔθος εἶναι ἄρχεσθαι τοὺς δεσπότας ὑπὸ τῶν οἰκετῶν, ἀφηγεῖσθαι τε τῆς οἰκίας ἕνα αὐτῶν ἐνδεδυκότα στολὴν ὁμοίαν τῇ βασιλικῇ ὃν καὶ καλεῖσθαι ζωγάνην. Μνημονεύει τῆς ἑορτῆς καὶ Κτησίας ἐν δευτέρῳ Περσικῶν.

Quæramus autem an idem quem impugnat Athenæus cum Zoroastre possit congruere. Quod enim Plinius Secundus Berosum Beli sacerdotem fuisse dicat, illumque Tatianus Alexandro Magno æqualem declaret, inde inferri potest eumdem Zoroastris doctrina fuisse imbutum et ad eam in multis rebus suas efformavisse opiniones. At Zoroastres Deum unum esse affirmat, qui quidem est corpore similis luci, animoque veritati. Berosus plures esse deos contendit; Xisuthrum ad deos ivisse narrat, et eumdem natos monuisse ut deos pio cultu prosequerentur. Quæ sunt a chaldaïca religione omnino aliena; imo discrepant plane ab his suppositis carminibus a Porphyrio laudatis (quæ quanquam commentitia antiquam tamen de Chaldæis opinionem videntur indicare :)

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι

Αὐτογένεθλον ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν ἁγνῶς (1).

Insuper in Zendavestæ libris, a doctissimo viro Anquetil du Perron in linguam gallicam conversis, Zoroastrem de Diluvio his verbis dicentem invenimus : « La lumière (d'Ormudz) brilla en haut pendant trente « jours et trente nuits, et il donna la pluie sur chaque « corps pendant dix jours... Chaque goutte de cette « eau était comme une grande soucoupe. La terre fut « toute couverte d'eau à la hauteur d'un homme... elle « pénétra dans les trous de la terre. Ensuite le vent « céleste s'y étant mêlé, de même que l'âme se balance « dans le corps, le vent l'agita comme dans les nuées. « Puis Ormudz renferma toute cette eau (2). »

Nihil prorsus in his verbis video quod possit cum Berosi de Diluvio narratione componi. Quam multa alia apud eumdem Berosum, quæ a Chaldæorum doctrina penitus abhorrent inveneris. Quid enim de semipisce Oanne vel cogitari vel dici potest? « Hanc belluam, ait Berosus, e mari quotidie emer- « gentem, cum hominibus versari solitam, eosque « docuisse litteras et varia genera artium, descriptio- « nes urbium, templorum structuras, jurisprudentiam, « finium regendorum doctrinam (1). » Unde patet Oannem omnia quæ vitæ conducebant edocuisse, prætermisisse vero unam astronomiam, hanc summam Chaldæorum scientiam : equidem illud nequeo non mirari quod idem Berosus, vir in astronomiæ studio versatus, de variis doctrinis et artibus dicat, de astronomia vero verbum nullum faciat. Adde quod,

(1) Athenæus. Deipnos. lib. 14. p. 639.

(2) Eus. Præp. lib. IX. 10. — (3) Boun-Dehesch. II. p. 359.

Zoroastris et Diodori Siculi voluminibus perlectis nullam apud Chaldæos aut Persas possis figuram invenire quæ cum Oanne quodammodo conferatur. At potius Dercetim quam Syri juxta Ascalonis lacum fama est coluisse (1), vel deam ipsam Syriam quam Lucianus celebravit, Oanni haud absimilem videre mihi videor. Unde fortasse conjicere licet, ad formam hujusce Dei portentosam illam Oannis speciem fuisse adumbratam. Vel, si fidem Helladio habeas, hanc eamdem belluam in sacris Ægyptiorum aut Græcorum monstris annumerabis : Helladius enim narrat « virum quemdam nomine Oen in Rubro mari « visum, habentem cætera membra piscis, caput et « pedes et manus hominis, et ostendisse astronomiam « et litteras. Quidam dicunt illum natum esse a primo « parente *Ovo* et testari nomen, hominem autem « omnino esse, piscem vero videri, quod piscis squa- « mis indutus esset : μυθωλογεῖ ἄνδρα τινὰ, ὠνομασμένον Ὠὴν, ἐκ τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἀνελθεῖν, τἆλλα μὲν τῶν μελῶν ἰχθύος ἔχοντα, κεφαλὴν δὲ καὶ πόδας καὶ χεῖρας ἀνδρός· καὶ καταδεῖξαι τήν τε ἀστρονομίαν, καὶ γράμματα. Οἱ δὲ αὐτὸν ἐκ τοῦ πρωτογόνου πεφηνέναι λέγουσιν Ὠοῦ, καὶ μαρτυρεῖν τοὔνομα· ἄνθρωπον δὲ ὄντα τὰ πάντα, ἰχθὺν δόξαι, διόπερ ἠμφίεστο κητώδη δοράν (2). Liquet Oen ab Oanne haud alium esse et eumdem Ὠόν patrem habuisse, id est ex ovo mundi natum, quod quidem Syricum non Chaldaïcum olet.

Non negligenda, at contra in nostra quoque trutina pensanda, quæ apud Diodorum Siculum et Berosum de Chaldæorum religione exponuntur. Pla-

(1) Diod. Sic. III. Plin. H. N. V, 32. Ovid. Met. IV. 45.
(2) Phot. Bibl. Cod. 279. p. 1593. ed. Rothom. 1659.

cita enim hujusce gentis duo hi scriptores proferunt, at in iisdem proferendis ita discrepant ut Chaldæorum sacra tam commendabilia apud Diodorum videantur quam apud Berosum ridicula. Hæc eadem dici possunt de Manete, cujus hæresis quasi ex religione Persarum expressa multa Zoroastri libris habet consentanea. Etenim invenies apud Diodorum omnem siderum religionem (2), tum apud Manetem hæc inter bonum malumque numen a principio exorta certamina (3).

Libri autem Berosi sacrificia votaque astris adhibita a Chaldæis omittunt nec ullam mentionem habent sempiternorum inter malum bonumque numen discriminum; at contra ubique videntur Ethnicorum religionem redolere. Quippe quæ placuit Beroso apud Polyhistorem de primis hujusce terræ hominibus adscribi atque de portentosa eorum specie, scilicet quosdam quaternis alis instructos fuisse, alios caprinis femoribus et capite cornigero, alios humano vultu, corpore autem equino, denique alios piscium caudis, omniumque horum imagines in templo Beli accurate fuisse depictas et asservatas, hæc magis ad Ethnicorum fabulas quam ad Chaldæorum religionem accommodanta sunt. Nec eadem videntur congruere cum aliis Berosi verbis quæ apud Clementem leguntur. Nam Clemens Alexandrinus « Persas ait neque cum « Græcis ligna et lapides, neque cum Ægyptiis Ibi- « das et Ichneumonas, tamen cum philosophis ignem « et aquam esse deorum simulacra putavisse. Quin « et post aliquot sæcula eos coluisse simulacra « humana specie prædita, ostendit in tertio Chal-

(1) Diod. Sic. lib. II. c. 29-32. — (2) Disput. inter Archelaum et Manetem. Routh. Rel. sac. t. IV. p. 117-288.

« daicorum Berosus, eumque morem ab Artaxerxe « Darii filio, Ochi vero patre, introductum fuisse : » Ἀγάλματα μὲν θεῶν οὐ ξύλα καὶ λίθους ὑπειλήφασιν ὥσπερ Ἕλληνες, οὐδὲ μὲν ἴβιδας καὶ ἰχνεύμονας, καθάπερ Αἰγύπτιοι, ἀλλὰ πῦρ τε καὶ ὕδωρ ὡς φιλόσοφοι. Μετὰ πολλὰς μέντοι ὕστερον περιόδους ἐτῶν ἀνθρωποειδῆ ἀγάλματα σέβειν αὐτοὺς Βηρωσσὸς ἐν τρίτῃ Χαλδαϊκῶν παρίστησι, τοῦτο Ἀρταξέρξου τοῦ Δαρείου τοῦ Ὤχου εἰσηγαμένου (1).

Inter cætera monstra narrat Berosus ante creationem exstitisse belluas omnigenas et illis præfuisse mulierem quamdam cui nomen Omoraca : eamque Chaldæorum lingua dici Thalatth, græce vero converti Θάλατταν. Ἄρχειν δὲ τούτων πάντων γυναῖκα ᾗ ὄνομα Ὀμορῶκα. Εἶναι δὲ τοῦτο Χαλδαϊστὶ μὲν Θάλατθ, ἑλληνιστὶ δὲ μεθερμηνεύεσθαι θάλασσαν.

« Hæc, ut annotavit Scaliger, non possunt esse a « Beroso. Non enim potuit ignorare linguam suam... « lingua Berosi τὴν θάλασσαν vocat *iamma* aut *iammo* « non thalatth quod significat tria, non mare. Itaque « sine dubio Græculi Polyhistoris παρανοθεύματα « sunt (2). » Ita noster Berosus chaldaice nescire arguitur, et eum jure accusatum fuisse, inde rursus inferes quod Sipparam *urbem solis* vocet, quam quidem *urbem librorum* nominare oportuerit. Sippara enim quam Sepharvaim libri sacri appellant (3), Plinius vero (7) Hipparenum et Chaldæorum doctrina

(1) Clem. Alex. Strom. lib. I. p. 57. ed. Oxon.
(2) Scal. notæ ad Eus. Chron. p. 408.
(3) II. Reg. XVII. 30.
(4) Hist. nat. VI. 30.
(5) Eus. Pamph. Chron. p. 11. ed. Ang. Maio.

claram dicit, nomen habet deductum a סִפְרָא quod chaldaice *liber* est.

Ex his quæ hactenus disputavi liquere arbitror :

1° Hæc fragmenta ex opere spurio, nempe ex libris Corn. Alexandro adscriptis, desumpta fuisse, unde omnem habent qua nituntur auctoritatem.

2° Nemo de Berosi diluvio mentionem fecit, nisi qui prius in Alexandro Polyhistore hanc narrationem legerit et inde excerpserit. Cæteri omnes, Tatianus ille Assyrius, Clemens Alexandrinus, Africanus, Origenes, Celsus nusquam Xisuthri meminerunt, qui tamen hujusce diluvium haud prætermisissent, si per eos stetisset non prætermittere.

3° Quæ proferuntur ab Alexandro Polyhistore, sub nomine Berosi vulgata, cum iis quæ tradiderunt de Beroso Caius Plinius, Censorinus, Athenæus atque Clemens Alexandrinus penitus videntur discrepare.

4° In his iisdem fragmentis, Berosus omnino tacet de siderum cultu ex quo liquet omnem Chaldæorum religionem pendere; de deorum certaminibus nullum sermonem habet; plura a Chaldæorum institutis et lingua aliena profert, ita ut cum Diodoro, Zoroastre et Manete omnino dissentiat.

VI.

Qua ex gente fuerint et qua auctoritate nitantur Demetrius Eupolemus et Philo senior, quos in numerum Græcorum scriptorum Josephus adscribit.

En Josepho adjutum veniunt Philo, Demetrius atque Eupolemus,

> Animæ quales *non* candidores
> Terra tulit, etc. (1).

Noster igitur, magna librorum supellectile comparata, Græcisque historicis adductis, hos inter peculiari eos accipit benevolentia quos jam nominavi auctores, eorumque testimonia ad fidem antiquitati Judæorum faciendam in medium profert : « Communi « consensu, ait, omnes eidem antiquitati suffragati « sunt. Ex quibus sane Demetrius Phalereus, et « Philo senior et Eupolemus a vero propius abfue- « runt : quibus etiam, si quid peccarunt, veniam hoc « nomine dare æquum utique sit, quod librorum « nostrorum sensum minus accurate capere et assequi « potuerint. »

Ὁ μέντοι Φαληρεὺς Δημήτριος καὶ Φίλων ὁ πρεσβύτερος καὶ Εὐπόλεμος, οὐ πολὺ τῆς ἀληθείας διήμαρτον. Οἷς συγγιγνώσκειν ἄξιον· οὐ γὰρ ἐνῆν αὐτοῖς μετὰ πάσης ἀκριβείας τοῖς ἡμετέροις γράμμασι παρακολουθεῖν (2).

Nunc iterum in promptu est Josephum vocare in jus, iterum hunc arguere fabulatorem et mendacia nova diviti vena fudisse, et novos commentorum artifices adduxisse : quippe qui nomine Græcorum Ju-

(1) Horat. Sat. lib. I. s. V.
(2) Flav. Jos. cont. Apion. I. c. 23.

dæos quosdam scriptores ornet, parentibus Judæis vere natos, quos insuper et liquido patet judaicarum fallaciarum peritissimos exstitisse. Horum quæ supersunt fragmenta ex abdito in lucem proferamus; hos novos et usque inauditos sermones ex præclaris et nitidis Eusebii fontibus depromamus, ut disquisitio hæc ad propositum vergat, id est ad Josephi auctoritatem dijudicandam.

I. Jam doctissimi viri Josephum vel de negligentia vel de mendacio postulaverunt, simulque contenderunt indubitata fide Demetrium ex Judæa gente exstitisse. Etenim G. J. Vossius (2), cum Vossio G. Jonsius (3) atque Richardus Simon (4) in vet. testamenti historia, una voce censuerunt hunc Demetrium Judaicorum annalium scriptorem a Phalereo toto orbe distare. Eumdem Judæum esse affirmavit, et græcum nomen mentitum fuisse suspicatus est Valckenarius in dissertatione de Judæo Aristobulo. Denique ipse amplissimus Huetius (rem prorsus insolitam et mirabilem!) eo venit ut Josephum de Demetrio erravisse conjiceret (5). Qui fit igitur ut una sententia Josephum arguerint doctissimi viri? qua ratione valuerint Demetrium ex Judæa gente ortum confirmare? In hoc præcipue nituntur quod ex Ecclesiastica Eusebii historia constet non tantum Demetrium, Philonem vero et Eupolemum Judæos fuisse. Ait enim Eusebius Clementem Alexandrinum meminisse : Φίλωνος καὶ Ἀριστοβούλου, Ἰωσήπου τε καὶ

(1) Voss. de hist. g. p. 426. ed. Westermann.
(2) Jons. Hist. Phil. III. c. x.
(3) Richard Simon. Hist. crit. du V. Test. II. c. 11.
(4) Demonst. Evan. Prop. IV. c. 2. 22.

Δημητρίου καὶ Εὐπολέμου Ἰουδαίων συγγραφέων (1). In hanc eamdem sententiam ivit B. Hieronymus (2); rursus alia apud Clementem invenimus, unde cognoscere qua ætate Demetrius floruerit et eum a Phalereo discernere promptum est. « Demetrium enim, si « Clementi fides, in Judæorum regum historia man« davisse accepimus ab anno quo Sennacherib Judæos « captivos eduxit, usque ad Nabuchodonosorum « regnantem alteramque Judæorum emigrationem « annos centum et viginti octo ac sex menses præ« terfluxisse; necnon a tempore quo Samaria ab urbe « decem tribus Israel in exilium expulsæ sunt, usque « ad Ptolemæi quarti principatus initia annos quin« gentos et septuaginta tres abiisse : Δημήτριος δέ φη« σιν ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ βασιλέων, τὴν Ἰούδα « φυλὴν καὶ Βενιαμεὶν καὶ Λευὶ μὴ αἰχμαλωτισθῆναι ὑπὸ « τοῦ Σεναχηρεὶμ, ἀλλ' εἶναι ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας ταύ« της εἰς τὴν ἐσχάτην, ἣν ἐποιήσατο Ναβουχοδονόσωρ ἐξ « Ἱεροσολύμων, ἔτη ἑκατὸν εἴκοσι ὀκτὼ, μῆνας ἕξ, ἀφ' οὗ « δὲ αἱ φυλαὶ αἱ δέκα ἐκ Σαμαρείας αἰχμάλωται γεγόνα« σιν ἕως Πτολεμαίου τετάρτου ἔτη πεντακόσια ἑβδομή« κοντα τρία, μῆνας ἐννέα, ἀφ' οὗ δὲ ἐξ Ἱεροσολύμων ἔτη « τριακόσια τριάκοντα ὀκτὼ, μῆνας τρεῖς (3). » Hinc G. J. Vossius (4) colligit Demetrium, quod tempora usquead Ptolemæum quartum enumeraverit, Phalereum non intelligi posse qui sub Philadelpho obiit. Subjecitque Huetius satis liquere eundem hunc scriptorem

(1) Eus. Hist. Eccl. lib. V. c. XI.
(2) Hier. de illust. script. c. 38.
(3) B. Clem. Alex. Strom. I. c. XXI. p. 146.
(4) Voss. de H.G. p. 426. ed. Westermann.

inter Ptolemæi quarti sive Philopatoris et Ptolemæi Lathyri ætatem vixisse (1).

Quod si veniamus ad excutienda quæ hujusce historici supersunt fragmenta, jam plura occurrent unde Demetrium Judæis annumerandum esse poterit inferri. Quippe in hisce reliquiis quas ex Pseudo-Alexandri libris depromptas prodidit Eusebius, pie admodum et accurate agitur de Jacobi in Mesopotamiam migratione, necnon longo ordine explicantur quæ de Josephi ejusque nepotum casibus mandata sunt; ibidem narratur quemadmodum Moses ad Jethronem in Madiam profugus conjugium cum Sephora inierit, et qua mirifica virtute amaros fontes, conjecto ligno, in dulces converterit.

Hæc omnia ad scripturæ veritatem exarata sunt; imo si plura sacris litteris proxima pones, ea scripturæ perfecte quadrare dispicies, jam minime dubitabis quin ex illo fonte sacro effluxerint; itaque facile efficies ut pateat hunc eundem Demetrium ad septuaginta Judæorum interpretationem quasi adumbravisse quam conscribebat historiam; (quod sane videtur ab auctorum Græcorum moribus ab horrere); hoc igitur ut appareat sequentia sequentibus comparentur: ὁ Δημήτριός φησι· πορευομένῳ δὲ αὐτῷ (Ἰακώβῳ) εἰς Χαναὰν, Ἄγγελον τοῦ Θεοῦ παλλεῦσαι, καὶ ἅψασθαι τοῦ πλάτους τοῦ μηροῦ τοῦ Ἰακὼβ, τὸν δὲ ναρκήσαντα ἐπισκάζειν. Ὅθεν οὐκ ἐκαθίεσθαι τῶν κτηνῶν τὸ ἐν τοῖς μηροῖς νεῦρον. « Demetrius narrat Jacobo « patriam repetenti obvium Dei angelum; postquam « aliquandiu cum eo luctatus esset, femur ejus qua

(3) Huet. Demons. Evan. Prop. IV. c. 2. 22.

« parte latius est percussisse, Jacobumque simul eo « membro torpescentem claudicare cœpisse : quo fa- « ctum deinceps ut ex pecudibus femoris nervum « Judæorum attingat nemo (1).

Quæ vero sequuntur in Veteri Testamento græco juxta septuaginta interpretes legenda et cum Demetrii verbis conferenda :

Ἐπάλαιεν ἄνθρωπος μετ' αὐτοῦ ἕως πρωΐ ... καὶ ἥψατο τοῦ πλάτους τοῦ μηροῦ αὐτοῦ, καὶ ἐνάρκησε τὸ πλάτος τοῦ μηροῦ Ἰακώβ... αὐτὸς δὲ ἐπέσκαζε... ἕνεκεν τούτου οὐ μὴ φάγωσιν υἱοὶ Ἰσραὴλ τὸ νεῦρον, ὃ ἐνάρκησεν ὅ ἐστιν ἐπὶ τοῦ πλάτους τοῦ μηροῦ, ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης (2).

Si jam optio hic permitteretur, ut inter hæc pro posita duo fragmenta eligeres, quæ Judæo historico sint adscribenda, nonne certa fide judicares, ea quæ in sacris litteris traduntur, a Græco auctore, cætera a Judæo fuisse composita. Fertur enim in istis: ἐπάλαιεν ἄνθρωπος μετ' αὐτοῦ; apud Demetrium autem : ἄγγελον τοῦ Θεοῦ παλλεῦσαι.

Ne tamen tibi fingere velis, quoniam hæc Scripturæ sacræ satis apte quadrare videntur, Demetrium in annalibus Judæorum conscribendis se sapientem et prudentem præstitisse et rerum fidei usque consuluisse. Quam opinionem si præsumas, næ istius modi scriptori nimium favebis. Quantum enim ex illis quæ supersunt ea quæ desiderantur perpendere et hominis naturam et animum assequi valemus, propius id ad fidem esse judicamus Demetrium mirabilium studio fuise accensum et fabulosa pro veris

(1) Demet. apud Polyhist. de Prepar. Evang. Eus. L. IX. c. XXI. — (2) Genesis. cap. XXXII.

sectatum. Illum dixeris musa quadam judæa afflatum; sæpius enim grandia turget et quæ ex fonte sacro habet deprompta pessimo fuco exornat; denique ubi Mosis gesta debuerat nobili et sincera oratione explicare, ibidem, sane quod plus æquo caput ebulliret, sexcenta Ezechielis carmina gaudet conscribere, laudare, commentariis illustrare.

II. Demetrio subnectendus est Eupolemus quem suspicatur Huetius (1) filium fuisse hujusce Johannis a Juda Maccabæo delegati ad fœdus cum Romanis ineundum. « Nam et tempora congruunt; etenim « quinto Demetrii Soteris anno, Ptolemæi vero Ever- « getis duodecimo videtur historiam suam contexuisse « ut apparet ex προθεσμίᾳ ab illo petita, quam notat « Clemens Alexandrinus (2). » Hæc non absurde commentatus, idem Huetius sese accingit familiarem suum Flavium purgaturus quod falso Eupolemum græcis auctoribus annumeraverit : at totam, ut opinor, operam perdit; etenim qui fit ut Josephus græco nomine decoraverit quem cæteri scriptores, Clemens Alexandrinus, Eusebius, B. Hieronymus Judæum esse professi sunt. Illud vero maxime mirum est tam candidam simplicitatem in doctissimo Huetio fuisse ut ejusdem Eupolemi scripta sincera fide acceperit et laudaverit.

Nam in libro quo judaicarum rerum memoriam complexus est Eupolemus, multa admodum mirabilia invenias quæ nemo unquam audivit, nemo vidit. An audiverint aut viderint Polyhistor et Josephus penes te judicium sit; en vero specimen eorum quæ tibi credenda obveniunt, si Eupolemo fidem habere decre-

(1) Huet. Demons. Evang. Prop. IV. c. 2. 29.
(2) B. Clem. Alex. Strom. I. p. 146 et 148.

veris? Ille ingeniose et lepide explicat qua benigna urbanitate Salomonis et Suronis prolixiores litteræ scriptæ fuerint. Ille operarios a Surone ad ligna exscindenda missos accurate et longo ordine recenset; ille quantum Enochus et Abrahamus astronomiam calluerint fusius commentatur; ille fere jurejurando affirmat Mosem primum Judæis litteras tradidisse, Judæos vero Phœnicibus, Phœnices Græcis. Denique idem subjicit primum omnium hominum Mosem doctrina et sapientia polluisse, cum tamen antea dixisset Abrahamum cæteris hominibus doctrina præstitisse et quidem summa.

Quæ de Abrahami studiis et erga Phœnices et Ægyptios beneficiis scribit Eupolemus, omnem sane fidem superant. Narrat enim Abrahamum in urbe Caramana vel Chaldæopoli natum, magno ingenii acumine præditum, astronomiæ arcana aperuisse et prodidisse. Paulo post deo jubente, ad Phœnices, docendi studio accensus, pedibus ivit; obvia Armeniorum agmina magno fudit certamine; Phœnicibus stellarum cursus scite explicuit. An autem scholam habuerit et qui fuerint disciplui omnino ignotum. Quum Phœnices belle edoctos senserit, in Ægyptum profectus est ut Heliopolitanis sacerdotibus astronomiæ disciplinam cæterasque doctrinas traderet.

Unde hæc monstra, vel quo de fonte requiris (1)?

hæc omnia Eupolemus, quem bonus laudat Huetius, in divino capite concepit suo; hanc alteram Minervam, nullo tamen juvante, peperit. Imo, invenit lepidus iste fabulator hominem qui commentitia hæc

(1) Juven. Sat. VI. 285.

laudaret. Quid! sibi doctissimi et excellentis viri Renaudoti benevolentiam conciliavit : quæ a Renaudoto profecta sunt cognosce : « Abraham était sorti « de Chaldée, *de ur Chaldæorum*, des temoignages « de Berose et d'Eupolemus cités par Eusebe liv. 9 « de la Prép. Évang. prouvent qu'il était τὰ οὐράνια « ἔμπειρος, *sçavant dans les choses célestes;* et qu'il « avait inventé l'astronomie et l'astrologie judiciaire « καὶ τὴν Ἀστρολογίαν καὶ τὴν Χαλδαϊκὴν εὑρεῖν. La « plupart des anciens ont cru que ces sciences, ainsi « que plusieurs autres dont on lui attribue l'inven- « tion, n'étaient pas tant fondées sur ses propres « observations que sur ce qu'il avait appris de ses « pères : et en remontant à la source, cette science « a été attribué à Adam, comme lui ayant été ins- « pirée de Dieu (1). »

Unde igitur Renaudotus Berosum de Abrahamo disseruisse acceperit; qui certe nunquam Abrahamum vel minimo digito tetigit. Unde affirmet ab eodem patriarcha judicialis astrologiæ prodiisse artem? qui fit etiam ut Adamum primum hujus scientiæ excogitatorem dicat et ad viles hujusce farinæ fabulas comprobandas, veteres, quos non nominare valet, in testimonium adducere velit. Valde a Renaudoto dissentit vir prudentissimus Burnettus; qui quidem Flavio quod ad Abrahamum Agyptiacæ scientiæ originem referat his verbis probe refragatur : « quibus « ductus argumentis (Josephus vel ille quo innixus est, « Eupolemus) hæc asserit? hoccine in historia sacra

(1) Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres. T. I. mém. p. 6.

« traditum est? hoccine in exotica legimus? et, si « ratione agas, quantulum fuit in Ægypto Abraha« mus: qui potuit infra biennium, peregrinus homo « sermonis alieni, gentem instruere scientiis ut vo« lunt, naturalibus et mathematicis, earum antea « ignaram et inassuetam? quamobrem propriam gen« tem non prius instruxit et edocuit has artes: filium « suum et nepotes? neque scientia naturali, neque « mathematica, celebres fuere Hebræi: et a se tamen « edoctos esse volunt Ægyptios qui in his disciplinis « facile cæteras omnes gentes olim superasse perhi« bentur (1). »

Quædam Eupolemi supra exscripta sunt; quæ lector repetat ut plane dijudicet utrum inter græcos an judæos scriptores annumerandus sit noster Eupolemus; nec arbitror de eodem sermonem longius protrahendum, quandoquidem tam clare quæstionem dirimant Clemens Alexandrinus, Eusebius et B. Hieronymus qui Eupolemum Judæum esse (1) sua auctoritate evincunt.

III. De Eupolemo igitur hactenus: ad Philonem veniamus quem Josephus πρεσβύτερον vocat fortassis ut eum a Philonibus Judæo et Biblio discernat, quod ambo hi sint juniores. De Philone nihil apud veteres mandatum est; et scripta ejus omnia desiderantur præter versus quosdam perpaucos in quibus Vigerus probe declarat se μηδὲν ὑγιές comperisse (2). Hunc de regibus Judæorum scripsisse auctor est

(1) Burnet. Archæol. p. 450. in IV. hujusce disputationis cap. quædam Eupolemi exscripta sunt.

(2) Eus. Præp. Evan. edit. Vigeri. annot. ad Philonis fragm.

Clemens Alexandrinus (1); eumdemque Eusebius, dum Alexandri Polyhistoris vestigiis insistit, in confirmanda Judæorum antiquitate testem adhibet. At quanquam obscura sint fere omnia quæ ad hunc auctorem pertineant minime in dubio est quin Judæus fuerit. Quicunque enim ea exaravit quæ sub nomine Philonis Alexander Polyhistor atque Eusebius vulgaverunt, ille Abrahamum, Isaacum et Jacobum laudibus ita extollere conatus est, ut inde facile colligas hunc auctorem, ex Judæa gente ortum fuisse : quippe paulo jactantius narrat Abrahamum stirpe sua clarum, legumque scientia imbutum eo præstitisse quod admodum eloquenter de religione dissereret; additque hunc eumdem virum summam laudem esse consecutum cum, jubente deo, natum unicum mactandi consilium iniverit. Quis hæc verba Græcorum vel religioni vel scribendi rationi convenientia dicat? Noster Huetius ipse hunc Philonem in Judæorum numerum adscribit, censetque multa eum ex Mosis libris collegisse, atque in suos transtulisse; denique conjectura judicat eum auctorem *libri Sapientiæ* qui Salomonis nomen præfert : hanc autem sententiam nonnullos scriptorum veterum inivisse affirmat B. Hieronymus. « Secundus liber (Sapientiæ, ait B. Hieronymus, apud « Hebræos nusquam est, quia et ipse stylus græcam « eloquentiam redolet et nonnulli scriptorum veterum « hunc esse Judæi Philonis affirmant (2). » Ex istis omnibus argumentis profecto liquet, ut arbitror, Philonem oriundum ex Judæa fuisse.

De Demetrio Eupolemo et Philone satis superque

(1) B. Blem. Alex. Strom. I p. 146.

(2) B. Hieron. Præf. ad Comm. de libris Salomonis.

disputatum, in quorum causa Josephum arguisse mihi videor, ut pote qui auctores Judæos vilioris notæ et ambiguæ fidei sibi in præsidium vocaverit; imo Eupolemum impudentem fabulatorem quem nemo in mendaciis confingendis antecellit, eumdem de rebus veterum testem verissimum fuisse declaret, illique veniam condonandam censeat, quod librorum judaicorum sensum minus accurate capere et assequi potuerit :

« Sic nos debemus amici
Si quod sit vitium non fastidire ; Strabonem
Appellat pætum pater (1). »

VII.

An Josephus ex bonâ fide Hecatæi Abderitæ, Clearchi Solensis et Chœrili scripta citaverit.

Suspicor nihil esse aptius ad delectationem lectoris quam lepidas Berosi et Eupolemi narratiunculas; at Flavius plures alios auctores habet qui varietatem cujusdam voluptatis plenam suppeditent et animos possint retinere. Beroso inclinante, jam novos historicos, philosophos, poetas in auxilium cogit, Hecatæum Abderitam, Clearchum Solensem ac Chœrilum hunc priscum vatem quem Flaccus nasute sugillavit. Josephus contra (videas qua humanitate Flaccum antecellat!) Chœrilum et cæteros omnes bono animo amplectitur. Nobis vero, quod periculosas censoris partes agamus, illud reliquum est inquirere an hæc Hecatæi, Clearchi et Chœrili fragmenta in officinis

(1) Hor. Sat. III. lib. I.

Judæorum fuerint conficta, aut interpolata, aut interpretando ad laudem gentis Judaïcæ perperam conversa. Ac primum de Hecatæo Abderita quæstionem instituamus.

I. Diu magnum inter doctissimos viros certamen fuit (et adhuc sub judice lis est), an Hecatæus Abderita ea vere scripserit quæ eum scripsisse Josephus auctor est. Vir summus Spencerus etsi de Hecatæo nihil explanaverit, ejus tamen librum περὶ Ἰουδαίων genuinum et Abderitæ adscribendum declarat (1). Huic socium Heynium adjungam quod in commentariis de fontibus Diodori eumdem hunc librum advocaverit atque ejus auctoritatem minime suspiciens, nihil de hac quæstione agitaverit (2). Accedit illustrissimi Bossueti auctoritas qui quidem Abderitam haud tantum protulisse sed in testimonis ejus referendis aliquantulum erravisse comperietur (3). Accedit Burignius qui avidius has Abderitæ reliquias amplexus, ut sacras veneratur, nullomodo suspicatus fiduciam suam frustra esse et Josephum sibi illudere (4). Sequitur Zornius qui sententiæ Origenis pro sua virili parte refragatus, censet nihil obstare quominus Judæos laudibus Abderita ornaverit (5). At præ cæteris huic opinioni favens vir doctissimus Sainte-Croix, dubitari non audet quin ex Abderitæ ingenio hæc scripta de Judæis manaverint. Quod autem contradixerit Origenes minime curat; Origenem enim Herennio præpostere niti voluisse arguit nimiumque hujus

(1) Spencer. ad Orig. c. 1. 15. — (2) Heyne. de Fontibus Diodori Comment. I. p. 67.—(3) Discours sur l'Hist. univers. 2. part. c. 2. — (4) Mém. de l'Acad. des inscript. et belles-lettres. t. VI. mém. p. 482. — (5) Zorn. ad Hecatæi Abd. fragm.

fabulatoris judicio tribuisse (6). Imo se videre negat quomodo quæ scripta de Judæis Josephus ab Hecatæo exhibet, a Græco auctore abhorreant. An vero jure meritoque sic judicaverit infra videbimus. Ibidem apparebit summum virum posthabere Philonem atque Origenem Eusebio et Josepho non debuisse, cum multum absit quin ad eam auctoritatis gloriam qua Herennius et Origenes pollent, Eusebius et Josephus contendere valeant. Hæc hactenus de illustrioribus Abderitæ patronis; nunc eos qui contra disputaverunt cognosce.

Diu eruditi viri iique multi Hecatæum, si revera ad eum pertineant loci ab Josepho appositi, aut Judæum et Græcum nomen fuisse mentitum, aut judaïcam religionem pro sua accepisse arbitrati sunt. De qua re suspicionem video primum incidisse Herennio Philoni et haud multo post Origeni quum contra Celsum luculente dissereret et hoc pacto scriberet :

Ἑκαταίου τοῦ ἱστορικοῦ φέρεται περὶ Ἰουδαίων βιβλίον, ἐν ᾧ προστίθεται μᾶλλον ὡς σοφῷ τῷ ἔθνει ἐπὶ τοσοῦτον, ὡς καὶ Ἑρέννιον Φίλωνα ἐν τῷ περὶ Ἰουδαίων συγγράμματι πρῶτον μὲν ἀμφιβάλλειν, εἰ τοῦ ἱστορικοῦ ἐστὶ τὸ σύγγραμμα, δεύτερον δὲ λὲγειν, ὅτι, εἴπερ ἐστὶν αὐτοῦ, εἰκὸς αὐτὸν συνηρπάσθαι ὑπὸ τῆς παρὰ Ἰουδαίοις πιθανότητος καὶ συγκατατεθεῖσθαι αὐτῷ τῷ λόγῳ. « Hecatæi quoque circum« fertur de Judæis libellus in quo hujus gentis usque « adeo sapientiam probat, ut Herennius Philo in suo « de Judæis libro dubitet primum an illius historici « scriptum illud sit, deinde addat siquidem illius

(1) Sainte-Croix. Examen des hist. d'Alexand. p. 556-559.

« opus sit, verisimile esse illum fuisse captum veri-
« tatis luce quam præ se fert Judæorum doctrina,
« illique assensum præbuisse » (1).

Hæc verba eo majoris sunt ponderis quo præstantior inter omnes veteres Judicii acumine et scientiæ copia Origenes videtur; idemque ut ait Tanaquillus Faber « librorum conquisitor acerrimus (quod ad rem im« primis facit), et tantæ fuit in literis excellentiæ ut « ab ipsomet Porphyrio meruerit laudari, viro si quis « alius fuit religioni christianæ et ejus cultoribus « infestissimo » (2). Simul in Origenis sententiam iverunt Scaliger et Vossius; quorum prior judicavit hoc opus περὶ Ἰουδαίων fuisse a græculo quodam confictum, alter autem Hecatæum Abderitam a Judæis persuasum fuisse ut a Græcorum religione desciscereret (3). Eadem sententia stetisse video Bentlejum (4), præpereaque Richardum Simonem qui quidem in historia veteris testamenti hæc scribit : « Aristée, « Hécatée, Cléarque, ont ainsi parlé des Juifs de « sorte à faire croire qu'ils étaient Juifs, ou que les « livres publiés sous leur nom étaient supposés, ou « que les Juifs hellénistes y ont ajouté plusieurs « choses. »

Itemque Valckenaerius cum eamdem quæstionem in disquisitione de Aristobulo judæo moveret,

(1) Orig. C. Cels. t. I. p. 334. ed. Ben.

(2) Tan. Faber j. Chabrolio apud Jos. op. edit Havercamp. part. III. p. 273.

(3) Scalig. Ep. XV. ad Casaubonum. — Vossii de Hist. græcis. p. 87. edit. Westermann.

(4) Bentley. Epist. ad Jos. Milles p. 530. Cf. Rich. Simon. Hist. crit. du Vieux Test. lib. 2. ch. 2.

his verbis opinionem suam explicuit : « Hecatæus, « Eupolemus, Artapanus, Demetrius, Aristæas, fuerunt omnes meo arbitratu religione Judæi seu his « nominibus inter populares fuerint noti seu nomina « mentiti (1). »

Denique credas eamdem de Abderita nostro opinionem esse viri summi Creuzeri : qui quidem quanquam novum nihil de hac quæstione agitat, attamen his verbis docto Sainte-Croix recte refragatur : « *Sainte-Croix* nullus dubitat, quin illud scriptum « de Judæis ex Abderitæ ingenio profectum sit, neque « quidquam tribuendum censet judicio Herennii, qui « ipse potius habendus videatur pro impostore. Quam « sententiam licet idem vir doctus confirmare stu« duerit rationibus aliis ex ipsa rerum traditarum « indole repetitis : tamen penitius inquirenti in « promptu fuerint alia ex eodem fonte haurienda « quæ contrariæ sententiæ favere videantur, ut jam « illud prætereain, quod tamen nec ipsum negligen« dum videtur esse : Suidam in enumerandis Abde« ritæ scriptis non memorare historiam illius judaï« cam (2). » Sed hæc sufficiunt; jam de eorum omnium quæ de Judæis ab Hecatæo scripta referuntur auctoritate disseramus.

2. Hecatæum Abderitam æqualem fuisse Alexandro et Ptolemæo Lagi auctor est Josephus : Ἑκαταῖος ὁ Ἀβδηρίτης, ἀνὴρ φιλόσοφος ἅμα καὶ περὶ τὰς πράξεις ἱκανώτατος, Ἀλεξάνδρῳ τῷ βασιλεῖ συνακμάσας καὶ Πτολεμαίῳ τῷ Λάγου συγγενόμενος (3). Eumdem ait Suidas

(1) Valcken. de Aristob. Judæo, 72.
(2) Creuzer. ad fragm. Hec. Mil. p. 35.
(3) Jos. op. t. II. p. 455.

Alexandri successorum ætate floruisse : γέγονε δὲ ἐπὶ τῶν διαδόχων (1). Unde fortasse inferri potest Hecatæum Alexandro regnante natum sub Ptolemæorum imperio vitam produxisse. Hic igitur cum ad philosophiæ studia animum erexisset, Pyrrhonemque magistrum habuisset (2), vestigia veterum philosophorum secutus Thebas profectus est ut artes Ægyptiacas viseret et memoria edisceret (3). Inde librum de Ægyptiorum philosophia conscripsit (4) ac, si Diodoro fides (5) res Ægyptiacas ordine exposuit. Ad eumdem quoque videntur pertinere libri περὶ τῶν Ὑπερβορείων quorum mentionem fecerunt Ælianus et Stephanus Byzantinus (6). Præterea cum Hecatæus criticis et grammaticis quoque annumerari vellet, scripsit ut Suidas annotavit, περὶ τῆς ποιήσεως Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου (7).

3. Quoniam vero hic locus non est de his operibus inquirendi, jam adeo quæ Josephus Abderitæ adscripsit et ad gentem judaicam celebrandam libro inseruit. In primo igitur Antiquitatum libro Flavius Josephus Hecatæum Abderitam affirmat de Abrahamo scripsisse : Ἑκαταῖος δὲ καὶ τοῦ μνησθῆναι πλεῖόν τι πεποίηκε· βιβλίον γὰρ περὶ αὐτοῦ συνταξάμενος κατέλιπε (8). « Hecatæus non Abrahami tantum obiter

(1) Suidas : sub voce Ἑκαταῖος Ἀβδηρίτης.

(2) Diog. Laert. IX. 69. — (3) Diod. I. 47.

(4) Diog. Laert. Procem. § 10. — (5) Diod. I. 47.

(6) Ælian. hist. XI. I. — Steph. Byz. v. Ἑλίξοια et Καραμβύκαι. — (7) Suidas sub voce Ἑκαταῖος ὁ. Ἀβδ. Cf. Vossius de historicis græcis. p. 15, 17, 46, 86. edit. Westermann. — Scaliger. Append. de Emendatione temporum.

(8) Jos. Ant. I. 7. 2.

« meminit sed librum de eo scriptum reliquit. » Quî fit igitur ut nemo præter Josephum hujusce libri περὶ Ἀϐραάμου mentionem faciat, quî fit ut Eusebius ipse, cum plures auctores et fraudis artifices adducat qui Abraamum laudent et fabulas aniles contexant, Melonem scilicet et Artapanum et Nicolaum et Philonem seniorem et bonum illum Eupolemum, quî fit ut idem de Hecatæo Abderita verbum nullum proferat nedum librum περὶ Ἀϐράμου nominet. Quin ipse Josephus, cum in dissertatione contra Apionem tanti faciat omnia quæ Judæis laudem afferant recensere et colligere, ibidem de libro περὶ Ἀϐράμου penitus tacet; attamen tum inprimis oportuit, ut opinor, ubi de Judæorum antiquitate sermo erat, celebrare hunc illustrissimum de judaicæ gentis parente Abrahamo testem, et nonnullos etiam Hecatæi locos proferre. Quid est igitur quod hanc Abrahami historiam qua antea tantopere gaudebat in hac lucubratione nova prætermittat vel negligat? Equidem suspicor Fl. Josephum de libro περὶ Ἀϐράμου tacuisse, quod crebro a Justo ceterisque ob errores non paucos jam lacessitus animum adducere nequiret ut rursus tam manifestum mendacium exhiberet. Quam quidem suspicionem veri simillimam forsan judicabis si perpendes ea quæ Origenes de Abrahamo in quinto contra Celsum libro scripsit. Ille quidem his verbis declarat nusquam gentium nisi in Judæorum sacra scriptura quidquam de Abrahamo testatum haberi : εἴπατε ἡμῖν, ὦ οὗτοι, τίς ὁ Ἀϐραὰμ, καὶ πηλίκος ὁ Ἰσαὰκ... εἶτ' ἐπὰν πυθομένων ἡμῶν μηδεὶς ἔχοι παραστῆσαι ἀφ' οἵας δή ποτε ἱστορίας εἴτε Ἑλληνικῆς εἴτε καὶ βαρϐαρικῆς, ἢ οὐχὶ ἱστορίας, ἀλλά

τινος μυστικῆς ἀναγραφῆς τὰ περὶ τῶν ἀνδρῶν τούτων· ἡμεῖς προσοίσομεν τὴν ἐπιγεγραμμένην Γένεσιν, περιέχουσαν τὰς πράξεις τῶν ἀνδρῶν τούτων, καὶ τοὺς τοῦ Θεοῦ χρησμοὺς πρὸς αὐτοὺς ἐροῦμεν. « Dicite, o Boni, quis « ille est Abraham? quantus ille Isaac? cum igitur « nemo vestrum nobis ostendere possit aut historiam « sive Græcorum, sive barbarorum, aut si deest his-« toria, saltem quamvis aliam arcanam conscriptio-« nem ubi res illorum virorum gestæ consignatæ fue-« rint : nos vero librum, cui titulus Genesis, exhi-« bemus res illorum gestas et oracula illis a Deo edita « continentem (1). »

4. Quid autem moror; habemus confitentem reum. Veniamus igitur ad dijudicanda singula quæ in dissertatione de Judæorum antiquitate Abderitæ adscripta sunt. Hecatæus igitur in his quæ a Josepho ponuntur fragmentis celebrare sibi proposuerat qua constantia et virtute Judæi institutis suis et religioni adhærerent præferrentque omnes subire cruciatus quam alienos deos venerari : « Judæi, « inquit, quanquam et maledictis impeti solent a vi-« cinis advenisque et injuriose sæpe tractati sunt a « Persicis regibus et satrapis, non possunt a senten-« tia deduci, sed pro ea maxime omnium forti animo « omne genus cruciatus sævissimasque mortes sub-« eunt, nec adduci possunt ut patria instituta abdi-« cent. Quin et indicia perhibet non exigua animi « eorum propositi tenacis et validi circa legem obser-« vandam. Dicit enim, « Cum aliquando apud Baby-« lonem esset Alexander, et vellet is Beli templum

(1) Origen. Cont. Cels. lib. V.

« quod conciderat reponere, et omnibus militibus « præcepisset humum aggerere, solos Judæos non « opitulatos, imo et verbera et mulctas graves pertu- « lisse, donec rex eis ignoscens laboris talis gratiam « fecit. Qui cum in regionem, inquit, ad suos reversi « fuissent, et templa et altaria extruxissent, ista omnia « diruerunt : et pro aliis quidem exsolvere, pro aliis « vero veniam consecuti sunt. Et præterea adjicit, « quod merito ob hæc admirationem habent. »

Κακῶς ἀκούοντες ὑπὸ τῶν ἀστυγειτόνων καὶ τῶν εἰσαφικνουμένων πάντων, καὶ προπηλακιζόμενοι πολλάκις ὑπὸ τῶν Περσικῶν βασιλέων καὶ Σατραπῶν οὐ δύνανται μεταπεισθῆναι τῇ διανοίᾳ, ἀλλὰ γεγυμνωμένως περὶ τούτων καὶ αἰκίαις καὶ θανάτοις δεινοτάτοις μάλιστα πάντων ἀπαντῶσι, μὴ ἀρνούμενοι τὰ πατρῷα. Παρέχεται δὲ καὶ τεκμήρια τῆς ἰσχυρογνωμοσύνης τῆς περὶ τῶν νόμων οὐκ ὀλίγα. Φησὶ γὰρ, « Ἀλεξάνδρου ποτὲ ἐν Βαβυλῶνι γενομένου, καὶ « προελομένου τὸ τοῦ Βήλου πεπτωκὸς ἱερὸν ἀνακαθᾶραι, « καὶ πᾶσιν αὐτοῦ τοῖς στρατιώταις ὁμοίως φέρειν τὸν « χοῦν προστάξαντος, μόνους τοὺς Ἰουδαίους οὐ προσχεῖν· « ἀλλὰ καὶ πολλὰς ὑπομεῖναι πληγὰς, καὶ ζημίας ἀποτῖσαι « μεγάλας, ἕως αὐτοῖς συγγνόντα τὸν βασιλέα δοῦναι τὴν « ἄδειαν. Τῶν γε μὴν εἰς τὴν χώραν, φησὶ, πρὸς αὐ- « τοὺς ἀφικνουμένων, καὶ ναοὺς καὶ βωμοὺς κατασκευασάν- « των, ἅπαντα ταῦτα κατέσκαπτον. Καὶ τῶν μὲν ζημίαν « τοῖς σατράπαις ἐξέτεινον, περὶ τινῶν δὲ καὶ συγγνώμης « μετελάμβανον. » Προσεπιτίθησιν, « ὅτι δίκαιον ἐπὶ τού- « τοις αὐτούς ἐστι θαυμάζειν (1). »

5. Quid igitur si quis ignarus ex quo fonte manaverint hæc scripta, forte postularetur ea vero auctori

(1) Joseph. Oper. t. II. p. 456.

adscribere, nonne ad Josephum vel ad Judæum quemdam protinus et recta via procederet. Ain'? Persicis regibus adversari Judæos? supplicia mortemque subire quod patria instituta abrogare recusarent! quicunque autem sacras litteras perlegere velit et animadvertere quam libenti animo Judæi vel civilibus bellis vel voluntate regum coacti Mosis præcepta detrectarint, haud dubie has Hecatæi laudes ultra verum exaggeratas judicabit; imo eas jure dicet omnino discrepare ab his Judæorum gestis quæ in primo Maccabæorum libro memorantur : « Consense- « runt omnes gentes secundum verbum regis Antio- « chi : et multi ex Israel consenserunt servituti ejus « et sacrificaverunt idolis et coinquinaverunt sabba- « tum (1). » Illud vero permirum accidit, tantam fuisse in Hecatæo erga Judæos benevolentiam ut eos quod templa altariaque diruissent laudibus efferret: πρὸς αὐτοὺς ἀφικνουμένων, καὶ νεὼς καὶ βωμοὺς κατασκευασάντων, ἅπαντα ταῦτα κατέσκαπτον... Καὶ προσεπιτίθησιν, ὅτι δίκαιον ἐπὶ τούτοις αὐτούς ἐστι θαυμάζειν. Quis alius Ethnicorum non clamitaverit portentosa esse hæc facinora et sacrilegam et diis hominibusque invisam Judæam gentem et diris devovendam. En vero Hecatæum jam hominem bonæ frugi! quod summo Deo Judæi serviant, lætatur! quod falsorum numinum simulacra et fana destruant, triumphat!

6. Idem Hecatæus declarat urbem Hierosolyma pulcherrimam et maximam a multis retro sæculis habitari, additque ubi de templi exstructione scribit: « ibidem nullum esse simulacrum, donarium omnino

(1) Macc. lib. I. c. 1. 43.

« nullum, itemque nec planta, nec lucus nec aliud quidquam hujusmodi : Ἄγαλμα δὲ οὐκ ἔστιν οὐδὲ ἀνάθημα τοπαράπαν. Οὐδὲ φύτευμα παντελῶς οὐδὲν, οἷον ἀλσῶδες ἤ τι τοιοῦτον (1). Sic noster (et probo) ab omnibus græcis latinisve dissentit scriptoribus, qui fabulam de asini simulacro prodiderunt, et voluerunt alii asinum, alii asini caput, alii hominem asino insidentem in Judæorum templo fuisse sacratum. « Effigiem animalis, ait Cornelius Tacitus, quo mon« strante errorem sitimque depulerant penetrali sa« cravere (2). » Nonne autem videntur hæc Hecatæi verba, non tantum a vero aliena esse, at ideo fuisse conscripta, ut Judæis majorem laudem pararent, omnesque Ethnicorum detrectationes confutarent. Constat enim Hierosolymorum templum, quod ad imaginem illius tabernaculi quod ipse Deus delineaverat, fuerit exstructum, duas cherubinorum statuas habuisse : Καὶ ἐλάλησε Κύριος πρὸς Μωϋσῆν, λέγων· ... καὶ ποιήσεις δύο Χερουβὶμ χρυσοτόρευτα, καὶ ἐπιθήσεις αὐτὰ ἐξ ἀμφοτέρων τῶν κλιτῶν τοῦ ἱλαστηρίου. Ἔσονται οἱ Χερουβὶμ ἐκτείνοντες τὰς πτέρυγας ἐπάνωθεν συσκιάζοντες ἐν ταῖς πτέρυξιν αὐτῶν ἐπὶ τοῦ ἱλαστηρίου. « Et locutus est Do« minus ad Moysem dicens : ... et facies duos che« rubim aureos tornatiles, et impones eos ex utrisque « lateribus propitiatorii. Erunt cherubim extenden« tes alas desuper, obumbrantes in alis suis super « propitiatorium (3). » Unde igitur affirmat ille bonus Hecatæus οὐδὲν ἄγαλμα in Hierosolymorum templo contineri, nisi vellet, Judæorum more, id quod objici posset mentiendo amovere.

(1) Jos. Op. II. p. 456. — (2) Corn. Tacit. Hist. V. c. IV.
(3) Exod. XXV. 18.

7. Rursus noster, prætendit cur neque Mosis librorum neque laudatorum in illis virorum meminerint scriptores græci, hanc causam callide quod sacra mysteria ore impuro nefas esset efferri. Μὴ δέον αὐτὴν (νομοθεσίαν) βεβήλοις στόμασι διασαφεῖσθαι (1). Haud dubie mirificam capis voluptatem ex hoc Hecatæi candore, quod ex gente græca oriundus, Ethnicorumque superstitioni deditus, tamen sincera fide fateatur Ethnicos græcosque homines nimis impuros videri et minime dignos qui Judaicas leges tractent, legant, convertant. At forte mihi bonum virum illudenti objicies, Hecatæum Abderitam hominem esse præposterum, cui vix alium invenias parem. Eum Pythico furore imbutum et res insolentes præ veris quæsivisse inde argues, quod de Hyperboreis multa confingere studuerit, vel quod Ægyptiacos ejus annales ob singularem ἐνθουσιασμόν poematis nomine Arrianus decoraverit (1). At constat Manethonem, Apionem, Lysimachum nonnulosque alios eadem animi impotentia omnia monstra appetivisse. Quî fit igitur ut Judæos conviciis insectaverint potius quam laudaverint eosque amore et benevolentia prosecuti fuerint; profecto quicunque animi studio ad miracula et fabulas nimium est propensus, nec rerum fidei consulit neque auctores bona trutina ponderat. Atqui noster Hecatæus si ad Judæorum annales conscribendos cæco impetu latus, miracula enarrare, homines magnopere dilaudare sibi proposuisset, haud dubie fabulis sexcentis et præter solitum miris librum augere studuisset. At contra in ejus

(1) Jos. Op. I. p. 458. ed. Haverc.
(2) Arrian. Exped. Alex. V. 6. 7.

reliquiis nihil video quod non velis probare? Quid enim! Judæos strenuos esse et fortes asserit et religionis ita tenaces ut levius ducerent mortem teterrimam subire quam majorum instituta et Dei præcepta negligere. Eosdem laudat quod Ethnicorum superstitioni infensi deorum simulacra et aras evertere magno animo ausi fuissent. Subjicit idem Hecatæus Judæorum sacra mysteria non in vulgus emanavisse, quod nefas esset impuro ore res sanctas prædicare. Ne dicas hæc profecta ex animo qui plus æquo ebulliret; his verbis, hoc incessu patet Judæus; quem missum facere jam expedit, atque obvium alium fabulatorem audire.

II. 1. En Josephus novum hominem adducit qui et ipse valeat Judæorum gentem laudibus extollere. Is vero, quem Clearchum peripateticum noster appellat, in libro primo περὶ Ὕπνου dicit Aristotelem de quodam viro Judæo plura referre, eumque in hunc modum loquentem inducit : « Tibi Hyperochida, « ut aperte quod res est dicam, mirum quiddam « somniorumque persimile narrare videbor. Cui Hy« perochides verecunde, et hac de causa, inquit, nobis « omnibus audiendi desiderium cietur. Ergo, subjicit « Aristoteles, genus hominis, ut præcipiunt rhetores, « in primis aperiamus, ne scilicet non auditi a nobis « esse narrationum magistri videantur. Tu vero uti « libuerit, inquit Hyperochides; ille ergo gente qui« dem Judæus erat ex Cæle-Syria. Isti vero originem « ducunt a philosophis apud Indos : vocanturque « (ut aiunt) philosophi apud Indos quidem Calani, « apud Syros autem Judæi, nomen a loco accipien« tes; quæ enim ab iis regio incolitur, Judæam vulgo « nominant. Urbis autem ipsorum nomen tortuosum

« admodum et impeditum est, Hierusalem enim vo-
« catur. Hic igitur homo cum a plerisque hospitio
« exciperetur, et a superioribus partibus ad maritima
« loca descenderet, non sermone tantum, sed etiam
« animo Græcus erat. Et tunc nobis in Asia forte
« degentibus, accidit, ut eadem appulsus ad loca,
« nobiscum aliquandiu, simulque cum aliis quibus-
« dam philosophiæ studiosis, versaretur, eorum sa-
« pientiæ experimentum faciens. Atque, ut cum
« plurimis doctrina præstantibus familiariter vixerat,
« plus aliquanto quam acciperet nobiscum ille com-
« municabat: Ὑπεροχίδη, θαυμαστόν τι ὀνείροις ἴσα σοὶ δόξω λέγειν. Καὶ ὁ Ὑπεροχίδης, εὐλαβούμενος, δι' αὐτὸ γὰρ ἔφη τοῦτο, καὶ ζητοῦμεν ἀκοῦσαι πάντες. Οὐκοῦν, εἶπεν ὁ Ἀριστοτέλης, κατὰ τὸ τῶν ῥητορικῶν παράγγελμα, τὸ γένος αὐτοῦ πρῶτον διέλθωμεν, ἵνα μὴ ἀπειθῶμεν τοῖς τῶν ἀπαγγελιῶν διδασκάλοις. Λέγε, εἶπεν ὁ Ὑπεροχίδης, ὅ τι σοι δοκεῖ. Κἀκεῖνος, τοίνυν τὸ μὲν γένος ἦν Ἰουδαῖος ἐκ τῆς Κοίλης Συρίας. Οὗτοι δέ εἰσιν ἀπόγονοι τῶν ἐν Ἰνδοῖς φιλοσόφων. Καλοῦνται δὲ, ὥς φασιν, οἱ φιλόσοφοι παρὰ μὲν Ἰνδοῖς Καλανοὶ, παρὰ δὲ Σύροις Ἰουδαῖοι, τοὔνομα λαβόντες ἀπὸ τοῦ τόπου. Προσαγορεύεται γὰρ ὃν κατοικοῦσι τόπον, Ἰουδαία· τὸ δὲ τῆς πόλεως αὐτῶν ὄνομα πάνυ σκολιόν ἐστιν, Ἱερουσαλὴμ γὰρ αὐτὴν καλοῦσιν. Οὗτος οὖν ὁ ἄνθρωπος ἐπιξενούμενός τε πολλοῖς, κἀκ τῶν ἄνω τόπων εἰς τοὺς ἐπιθαλαττίους ὑποκαταβαίνων Ἑλληνικὸς ἦν, οὐ τῇ διαλέκτῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ ψυχῇ. Καὶ τότε διατριβόντων ἡμῶν περὶ τὴν Ἀσίαν, παραβαλὼν εἰς αὐτοὺς τόπους, ἐν οἷς ἦμεν, ἐντυγχάνει ἡμῖν τε καί τισιν ἑτέροις τῶν σχολαστικῶν, πειρώμενος αὐτῶν τῆς σοφίας· ὡς δὲ πολλοῖς τῶν ἐν παιδείᾳ συνῳκείωτο, παρεδίδου τι μᾶλλον ὧν εἶχεν (1).

(1) Jos. Oper. II. p. 454 et 455.

Quod vero Aristoteles in tam multis quos scripsit libris nullam unquam de Judæis mentionem fecerit, pronum est conjicere hæc Clearchi verba commentitia esse. Nec nos fugit alios aliter sentire; itaque ne nos deterreant summi viri Vossius (1), Scaligerus (2) et Burignius (3) qui Clearcho omnem fidem adhibuerunt, jam Jonsio adjuvante dicendum quibus rationibus hunc librum περὶ Ὕπνου spurium debeamus arguere.

2. Multa Clearchum Solensem scripsisse ab Æliano, Diogene Laertio, Athenæo (4) et nonnullis scholiastis (5) accipimus, at horum omnium nemo libri περὶ Ὕπνου mentionem facit : primus Josephus auctor est Clearchum hæc de Somno scripta elucubrasse, quæ a nemine nisi qui Flavianis vestigiis insistat memorata videmus. Subjiciam quæ J. Jonsius de Hyperochide monuit, scilicet « se a multis annis Aristotelis familiares quorum apud scriptores mentio est notavisse; « Hyperochidem vero non nisi apud Josephum ob« servasse cæteris omnibus ignotum. » Idem recte judicat, ut opinor « vocem σχολαστικῶν in ea, qua « usurpatur significatione, vix apud veteres legi et « ætatem sapere inferiorem : loca etiam in quibus « juvenes erudiebantur nondum Aristotelis ævo scho« las appellari neque eos qui docebantur scholasti« cos. In exedris, ait ille vir doctus, diatribis, Athe-

(1) Voss. de Hist. græc. p. 83. ed. Westermann.

(2) Scaliger. Append. lib. de emend. Temp. 928.

(3) Mém. de l'Acad. des inscript. et belles-lettres. XXXIX. Hist. p. 204. — (4) Ælian. hist. an. XII. 34. — Diog. Laert. procem. 9. — Athen. XV. p. 697. VI. 234. IV. 157. XII. 514.

(5) Vide Voss. de Hist. græc. p. 83. ed. Westerm.

« næis, Leschis, didascalis, Lyceo, Academia, peripato « esse informatos novi : scholarum mentionem factam « nondum observavi (1). » Rursus cum eodem Jonsio addam voces Ἰουδαῖος Ἰουδαία, Ἰερουσαλὴμ Aristoteli et æqualibus ei scriptoribus et multo magis antiquioribus omnino ignotas fuisse, unde facile conjicias hæc fragmenta Clearchi nomen falso præ se ferre eaque quod antiquitatem aliquam suæ genti conciliarent Josephum inconsulto aut ex mala fide adduxisse.

3. Equidem ea ablegenda censeam inter anilia illa commenta quæ Judæi auctores de philosophis effutiverunt, vel potius fabulosæ mirabilium rerum memoriæ (quæ *legenda* nominamus) annumerem. Quum enim propter sapientiæ laudem Judæi Græcis inviderent, ut recte monuit Bruckerus (2), omnem arripuerunt occasionem mentiendi Aristotelem fuisse Judæum, Hierosolymitanum atque ortum de tribu Benjamin (3). Alii finxerunt omnem Aristotelis scientiam furtim e libris Salomonis ablatam fuisse. « Nam « cum Alexander Macedo Hiersolymas sibi subegisset, « Aristotelem (ut Judæis placet) præfecit Thesauro « librorum Salomonis. Ille vero quidquid boni in « illis invenit id omne suo ipsius nomine edidit, ad- « mixtis quibusdam pessimis opinionibus., g. v. de « mundi æternitate (3). » Narraverunt alii Aristotelem sub finem vitæ ad Judæorum sacra accessisse et novum lucubravisse librum in quo omnem suam phi-

(1) Jons. Hist. Philos. lib. I. c. XVIII. 2.
(2) Brucker. Hist. Phil. I. p. 794.
(3) Fab. Bibl. græc. II. p. 162.

losophiam ejuraverit, denique eum morte jam proxima, implorata divina miseratione cum præsagitione quadam Dei expirasse (1). Itaque cum haud absimilia exstarent apud Judæos de Aristotele commenta, non dubito quin antiquitus etiam exstiterit, vel spurium, vel interpolatum quoddam opus Clearcho Solensi adscriptum.

III. His autem commentis quæ sub Hecatæi et Clearchi nomine circumferebantur, testimonium aliud adnectendum quod quidem a Chœrilo Samio poeta et Herodoto æquali Josephus excepit atque in Apionem ad Judæorum antiquitatem demonstrandam exhibuit. Ille enim affirmat Chœrilum inter antiquiores poetas præclarum virum Judæorum meminisse ubi his versibus cecinit eos cum Xerxe Persarum rege expeditionis contra Græcos participes fuisse :

Τῷ δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι,
Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφίεντες.
Ὤκεετ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι πλατέῃ ἐπὶ λίμνῃ.
Αὐχμαλέοι κορυφάς, τροχοκούριδες· αὐτὰρ ὕπερθεν
Ἵππων δαρτὰ πρόσωπ' ἐφόρευν ἐσκληκότα καπνῷ.

« Exin miranda specie gens castra secuta est,
« Phœnicum ignoto quæ voces ederet ore.
« Hæc Solymos habitans montes stagnum prope vastum,
« Circumtonsa comis, squallenti vertice, equini
« Exuvias capitis duratos igne gerebat (2). »

Censet Josephus hos veteres Solymos Judæos esse et inde hanc illustrem sibi asserit originem quam

(1) Cf. Brucker. Hist. Phil. I. 794. — Fabric. Bibl. græc. II. p. 162. — Basnage. Hist. des Juifs. III. c. 7. — Buddei. Hist. Phil. Ebræor. § 32.
(2) Jos. Op. II. p. 453.

quidem a Judæis jam affectatam fuisse ex Corn. Taciti verbis videmus : « Clara alii Judæorum initia : « Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, « conditæ urbi Hierosolymam nomen e suo fecis- « se (1) » Illa vero Σόλυμα ætate Chœrili nulla alia fuerunt præter montana quædam Pisidiæ ab Homero laudata, ut ipse Apollonius adnotavit in Lex. Hom. : Σόλυμοι, ἔθνος βαρβαρικόν· ἔστι δὲ καὶ κατὰ Πισιδίαν ὄρη, Σόλυμα καλούμενα. Quod etiam hoc modo Stephanus Byzantinus confirmavit (2) : οἱ Πισίδαι πρότερον Σόλυμοι. Multo post, quod Hierosolymæ nomen ex templo et gente Solymorum compositum Ethnici crederent, Judæi Solymorum appellationem habuerunt. Hæc autem de Solymis fabula sola linguæ hebraicæ ignorantia nixa est, ut recte censuit Broterius : urbs Jerusalem dicta est primum *salem* « שלם « id est, *pax*, a Melchisedech, ut fertur, condita. « Deinde quum Hebræi terras illas occupassent, pa- « cemque ibi firmassent, appellata est *Jerusalem* « ירושלם id est possessio pacis. Urbi Jerusalem no- « vam urbem Sion addidit David; tunc non mutato « nomine, sed in duale inflexo, vocata est Jerusalaïm, « diversa quidem scriptura, sed eadem pronuntia- « tione. Græci autem vocem interpretati sunt Ἱερο- « σόλυμα; et quum vim hebraicæ linguæ ignorarent, « finxere Hierosolyma dici ab Ἱερῷ templo et solymis « montibus, ἐκ σολύμων ὀρέων quorum meminit Ho- « merus (1). »

Rursus tradit Chœrilus hanc gentem quæ Solymos

(1) Corn. Tac. Hist. V. c. II.

(2) Steph. Byz. v. Πισίδαι. Cf. Strab. lib. I. p. 35.

(3) Brot. Excursus. ad lib. V. Hist. Corn. Tac.

montes habitabat comam circumtonsam habuisse (τροχοκούριδες) unde inferri potest, cum Naekii venia, hos Chœrili versus de Judæis non esse accipiendos, quoniam in lege districte vetatur in circuitum capillum attondere : οὐ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης τῆς κεφαλῆς ὑμῶν, οὐδὲ φθερεῖτε τὴν ὄψιν τοῦ πώγωνος ὑμῶν (1); recte adjungunt Salmasius, Bochartus et Cunæus Herodotum ipsum secuti, in orbem tonsos fuisse Phœnices et Arabes, non vero Judæos (2). Denique huic opinioni videtur Scaliger assentire ubi declarat nihil esse in Chœrili versibus quod cogere ad id lectorem possit, ut Solymos Judæos esse existimet, unde audet affirmare illic nullo modo de gente hebræa agi (3). Sed jam satis de hac parte meæ disquisitionis disputavi, nec amplius dubitandum esse censeo quin Josephus commentitia opera Hecatæo et Clearcho adscripserit et Chœrili versus vel dolose vel inscite interpretatus sit.

VIII.

Qua auctoritate sint habendi Tyriorum libri necnon Phœnices historici, Dius et Menandrus Ephesius, quorum Josephus in libris contra Apionem mentionem facit.

I. Mirum profecto habemus περιηγητὴν Josephum,

ed. Lemaire. p. 63. Apud Martinium legimus : Salem est a שָׁלֵם, quasi pacifica, שָׁלוֹם pax. Hebr. Sed Ieruschalaim est forma duali, quasi visiones pacis רָאָה enim est videre. Nisi velis ירה jaculari proferre. Lexicon Philolog. et etymolog. Matth. Martinii sub voce *Solyma*.—(1) Lev. c. 19. v. 27.

(2) Herod. VII. 42. Cf. Salm. Ep. de Cæsarie. p. 46. Bocharti. lib. I. de Phœn. Colon. c. VI. p. 361. sqq. in Geogr. 5· ed. III. a. 1692.—Cunæi de rep. Heb. II. c, XVIII. — Cf. Chœr. fragm. script. græc. biblioth. t. VII.—(3) Scalig. App.

qui, dum undecunque amicos popularibus suis et patronos quærit totum orbem peragrare enititur. En græca et chaldaica regione regressus, jam Phœniciam appellit; statim antiqua Tyriorum monumenta, annales, libros perlegere, convertere, describere, incipit; qua demum librorum supellectile instructus, perhibet apud Tyrios quasdam esse litteras a multis annis publicis tabulis consignatas; illis vero constat Salomonem et Hiramum amicitia adeo fuisse conjunctos, ut tanti fecerint sibi invicem ænigmata ponere, epistolasque satis lepidas exarare, quæ ad Josephi ætatem (vide antiquarum rerum religionem) in Tyriorum annalibus cum magna cura asservabantur. Hoc pacto disserens Josephus testem producit Dium, hominem quemdam ignotum, quem tamen egregiæ fidei, spectatæ integritatis et Phœnicum annales accurate scripsisse declarat; atqui « ipse Dius refert regem « Hierosolymorum Salomonem ad Hiramum ænig- « mata misisse et ab eo alia repoposcisse, ea lege tamen « ut qui dissolvere non posset dissolventi mulctæ no- « mine pecunias penderet. Quam conditionem cum « Hiramus accepisset nec ambages resolvere potuisset, « mulctam ingentem pecuniarum pependisse : post vi- « rum quemdam Abdemonem Tyrium nomine exstitisse, « qui ænigmata proposita aperiret, aliaque invicem pro- « poneret. Quæ cum Salomon non resolvisset, pecu- « nias multas Hiramo insuper rependisse (1). »

Τὸν δὲ τυραννεῦντα Ἱεροσολύμων Σολομῶνα πέμψαι

ad lib. de Emend. temporum. 929.—De hac quæstione fusius sed parum accurate disputavit Naekius. Cf. Chœr. frag. p. 130-136. Ed. Naekii. —(1) Flav. Jos. t. II. p. 448.

φασὶ πρὸς τὸν Εἴρωμον αἰνίγματα, καὶ παρ' αὐτοῦ λαϐεῖν ἀξιοῦν. Τὸν δὲ μὴ δυνηθέντα διακρῖναι, τῷ λύσαντι χρήματα ἀποτίνειν. Ὁμολογήσαντα δὲ τὸν Εἴρωμον, καὶ μὴ δυνηθέντα λύσαι τὰ αἰνίγματα, πολλὰ τῶν χρημάτων εἰς τὸ ἐπιζήμιον ἀναλῶσαι. Εἶτα δὴ Ἀϐδήμονόν τινα Τυριον ἄνδρα τὰ προτεθέντα λυσαι, καὶ αὐτὸν ἄλλα προϐαλεῖν. Ἃ μὴ λυσαντα τὸν Σολομῶνα, πολλὰ τῷ Εἰρώμῳ προσαποτίσαι χρήματα. »

Ad hunc modum Dii annalibus contra Apionem adhibitis, statim alius accedit rerum Phœnicum scriptor, Menandrus scilicet Ephesius, vir egregius, antiqua fide, summa prudentia, acri ingenio ut nihil supra, denique dignus qui a Josepho laudetur. Atqui eo, quo ardebat, Menandrus, studio vera in omnibus tradendi, instituerat vernaculas et veteres pervolvere cujusque provinciæ vel gentis tabulas, unde res gestas apud Græcos et barbaros memoriæ mandaturus excerperet.

Is igitur ad Hiramum regem veniens hoc pacto scribit : « Hiramus aggere vastum locum exæquavit; « prætereaque collocavit auream columnam in Jovis « templo : et ad lignorum sylvam profectus e monte « Libano appellato construendis templorum tectis ce- « dros excidit; demolitusque antiqua delubra nova « ædificavit templa, Herculisque et Astartæ fana « consecravit, primumque Herculis templum in « mense Peritio, deinde Astartæ; hujus autem ætate « floruit quidam Abdemonis filius junior qui proble- « mata quæ Salomon rex Judæorum explicari jubebat « ingenio semper superabat (1). »

(1) Jos. Flav. t. II. p. 449.

Οὗτος ἔχωσε τὸν εὐρύχωρον, τόν τε χρυσοῦν κίονα τὸν ἐν τοῖς τοῦ Διὸς ἀνέθηκεν· ἔτι τε ὕλην ξύλων ἀπελθὼν ἔκοψεν, ἀπὸ τοῦ λεγομένου ὄρους Λιβάνου, κέδρινα ξύλα εἰς τὰς τῶν ἱερῶν στέγας· καθελών τε τὰ ἀρχαῖα ἱερὰ, καινοὺς ναοὺς ᾠκοδόμησε, τό τε τοῦ Ἡρακλέους καὶ τῆς Ἀστάρτης τέμενος ἀνιέρευσεν, καὶ τὸ μὲν τοῦ Ἡρακλέους πρῶτον ἐποιήσατο ἐν τῷ περιτίῳ μηνὶ, εἶτα τὸ τῆς Ἀστάρτης. Ἐπὶ τούτου δέ τις ἦν Ἀβδήμονος, παῖς νεώτερος, ὃς ἐνίκα τὰ προβλήματα, ἃ ἐπέτασσε Σολομὼν ὁ Ἱεροσολύμων βασιλεύς.

II. His in medium prolatis tanquam hujusce causæ instrumentis, utrum vera, an falsa sint dijudices. Quæ supra de mirificis Hirami Salomonisque epistolis scripta sunt, jam eadem fusius in octavo Antiquitatum libro Josephus narraverat; simul ibidem fere jurejurando professus se rerum fidei consulere nec quidquam nisi verum dicere, has Salomonis atque Hirami litteras conscripsit. At unde excerptas? Hæc in antiquis Phœnicum tabulis contineri affirmat Josephus, atque hac fallacia securus *in portu jam navigare* credit, sed qui fit ut noster hebraicæ linguæ inscius (ut recte censuit Brinch et fusius demonstravit)(1) Phœnicum linguam legerit, in græcam converterit? Qui fit ut hunc Tyriorum regem qui in hebraicis libris Chiramus (חירם) appellatur, Josephus eumdem Hiram vel Hiramum nominaverit, spreta etiam aut neglecta septuaginta Judæorum versione? Qui fit ut in scriptura sacra nulla Salomonis et Chirami litterarum mentio sit, at solummodo relata sint ea quæ sibi invicem Salomon Hiramusque per legatos mandaverunt. Hoc ut appareat et simul bona Josephi fides spectetur, cum Flavianis quibusdam confe-

(1) Jos. op. edit. Haverc. dissert. P. Brinch. p. 3. p. 302.

ramus sacrorum librorum alia ex hebraica et latina Ben. Ariæ Montani editione exscripta.

Flavii Josephi antiq. jud. lib. VIII.

Salomon ad Hiramum litteros mittit his verbis :

Salomon Hiramo regi.

Scias velim quod pater meus cum in animum induxisset ædificare templum Deo, bellis et continuis expeditionibus fuerit impeditus. Non enim prius hostes debellare desiit, donec eos omnes tributum ferre coegerat. Ego vero Deo gratias ago pro eâ quâ nunc fruor pace : ac propterea otio abundans jam statuo domum Deo exstruere. Eam enim me conditurum esse, Deus patri meo prædixit. Quam ob rem te oro atque obsecro, ut nonnullos unà cum meis mitti jubeas in montem libanum ad ligna excidenda. Nam in materia cadenda Sidonii nostratibus peritiores sunt. Ipse vero mercedem, quantam tu dixeris, fabris solvam (1).

Veteris Testamenti, lib. regum cap. V. (Ariæ Montani versio.)

Et misit Chiram rex Tyri servos suos ad Salomon quia audierat quod ipsum unxissent in regem pro patre suo : quia dilexerat Chiram ipsum David omnibus diebus. Misitque Solomon ad Chiram dicendo : tu nosti David patrem meum non potuisse ædificare domum nomini Domini Dei sui, propter bella quæ circumdederunt eum donec posuit Dominus eos sub plantis pedum ejus. Et nunc requiem dedit Dominus Deus meus mihi in circuitu ; non est adversarius et non est occursus malus. Et ecce ego cogito ædificare domum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus ad David patrem meum dicendo : filius tuus quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo : et nunc præcipe ut præcidant mei cedros de Libanon et servi mei sint cum servis tuis : et mercedem servorum tuorum dabo tibi secundum omnia quæ dixeris ; quia tu nosti quia non est inter nos vir sciens cædere ligna sicut Sidonii.

(1) Ἀποστέλλει δὲ πρὸς αὐτὸν (Εἴραμον) Σολομὼν γράμματα δηλοῦντα τάδε

ΣΟΛΟΜΩΝ ΕΙΡΑΜΩ ΒΑΣΙΛΕΙ

Ἴσθι μου τὸν πατέρα βουληθέντα κατασκευάσαι τῷ Θεῷ ναὸν, ὑπὸ

Has igitur litteras postquam Josephus confinxerat, et Salomoni adscripserat, eo audaciæ venit ut eas declaret non tantum apud Tyrios verum etiam in sacris Judæorum libris contineri : διαμένει δ' ἄχρι τῆς τήμερον τὰ τῶν ἐπιστολῶν τουτων ἀντίγραφα, οὐκ ἐν τοῖς ἡμετέροις μόνον σωζόμενα βιβλίοις, ἀλλὰ καὶ παρὰ Τυρίοις.

Næ has quidem litteras unquam in annalibus Tyriorum exstitisse, hinc colligas quod pateat nullam omnino earumdem litterarum in sacris libris mentionem esse. Josephi vero ætate, ut supra vidimus, sub nomine Eupolemi et Alexandri Polyhistoris, cæterorumque nonnulla de judaicis annalibus opera prodierunt, unde has epistolas noster potuit depromere. Ea videlicet ætate, Apollo malesanus quidam stimulis omnes urgebat ut commentis commenta ac ne illa quidem inter se consentanea superadderent, qualia tradiderunt Josephus et Eupolemus, sed diversa et pugnantia.

III. Jam veniamus ad Phœnices historicos Dium et Menandrum Ephesium; hujusce Menandri nomen plane ignotum, laudatumque ab uno Josepho vel, dum Flavianis vestigiis insistunt, a Theophilo Tertulianoque videmus. Insuper ea quæ in libris contra Apionem illi adscripta sunt, cum aliorum

τῶν πολέμων καὶ τῶν συνεχῶν στρατιῶν κεκωλυμένον. Οὐ γὰρ ἐπαύσατο πρότερον τοὺς ἐχθροὺς καταστρεφόμενος, πρὶν ἢ πάντας αὐτοὺς φόρων ὑποτελεῖς ἐποίησεν. Ἐγὼ δὲ χάριν οἶδα τῷ Θεῷ τῆς παρούσης εἰρήνης καὶ διὰ ταύτην εὐσχολῶν οἰκοδομῆσαι τῷ Θεῷ βούλομαι τὸν οἶκον. Καὶ γὰρ ὑπ' ἐμοῦ τοῦτον ἔσεσθαι τῷ πατρί μου προεῖπεν ὁ Θεός. Διὸ παρακαλῶ σε συμπέμψαι τινὰς τοῖς ἐμοῖς εἰς Λίβανον τὸ ὄρος, κόψοντας ξύλα. Πρὸς γὰρ τομὴν ὕλης ἐπιστημονέστερον ἔχουσι τῶν ἡμετέρων Σιδώνιοι. Μισθὸν δ' ὃν ἂν ὁρίσῃς, ἐγὼ τοῖς ὑλουργοῖς παρέξω. Jos. op. Ant. XII. cap.

auctorum verbis vel Phœnicum institutis discrepant. Unde forte, si stricte excutietur, parum accurate scripsisse vel commenta finxisse Menander deprehendetur. Quippe affirmat primum Herculis fanum fuisse ab Hiramo exstructum atque ab illo in templo Jovis columnam auream esse impositam. In ea re autem Menander Ephesius ab Herodoto omnino dissentit : etenim Herodotus hanc columnam auream in fano Herculis, cum olim Tyri monumenta viseret se conspexisse meminit, additque a sacerdotibus phœnicibus audivisse hoc Herculis templum perantiquum tunc ædificatum esse quum et urbis fundamenta ponerentur : Καὶ θέλων δὲ τούτων περὶ σαφές τι εἰδέναι ἐξ ὧν οἷόν τε ἦν, ἔπλευσα καὶ ἐς Τυρον τὴν Φοινίκης, πυνθανόμενος αὐτόθι εἶναι ἱρὸν Ἡρακλέους ἅγιον, καὶ ἴδον πλουσίως κατεσκευασμένον ἄλλοισί τε πολλοῖσι ἀναθήμασι, καὶ ἐν αὐτῷ ἦσαν στῆλαι δύο, ἡ μὲν χρυσοῦ, ἀπέφθου, ἡ δὲ σμαράγδου λίθου, λάμποντος τὰς νύκτας μέγαθος. Ἐς λόγους δὲ ἐλθὼν τοῖσι ἱρεῦσι τοῦ θεοῦ, εἰρόμην ὁκόσοις χρόνος εἴη ἐξ οὗ σφι τὸ ἱρὸν ἵδρυται. Εὗρον δὲ οὐδὲ τούτους τοῖσι Ἕλλησι συμφερομένους. Ἔφασαν γὰρ ἅμα Τύρῳ οἰκιζομένῃ καὶ τὸ ἱρὸν τοῦ θεοῦ ἱδρυθῆναι (1).

Rursus illud dubitationem aliquam de Menandri fide affert quod dicat Hiramum ad lignorum silvam profectum ut construendis templorum tectis cedros excideret : ἔκοψεν κέδρινα ξύλα εἰς τὰς τῶν ἱερῶν στέγας· constat autem apud Phœnices et veteres reliquas gentes omnia fana antiqua, nullis tectis superpositis, cœlo patuisse (2) : nefas quippe putabant deos et

(1) Herod. lib. II. c. 44.

(2) Cf. Mém. de l'Acad. des inscriptions et belles-lettres. XXXVIII. p. 31. 32. 33.

hominum preces votaque includi. Inde apud Homerum templum τέμενος nomen habet ; nec errat ille quem Josephus Menandrum Ephesium appellat, cum Herculis fanum, verbo τέμενος usus, apertum fuisse indicat : præterea quæ hujusce monumenti ruinæ remanserunt accuratiusque fuerunt a Maundrel cæterisque recognitæ nulla indicia habebant quibus minima suspicio subesset quondam his delubris tecta superstructa fuisse (1). Hoc insuper adjiciam, templa omnia, quæ Phœnices in coloniis extruxerant, in eo potissimum ab aliis fuisse diversa quod essent superne patentia. Ita Plinius de templo quod Phœnices in Cypro insula sacraverant ait : « Celebre « fanum habet Veneris Paphos in cujus quamdam « aram non impluit (2). » Et Tacitus hoc idem Veneris delubrum describens : « Sanguinem aræ, inquit « offundere vetitum : precibus et igne puro altaria « adolentur : nec ullis unquam imbribus, quanquam « in aperto madescunt (3). » In insula Samo, teste Strabone vetus fanum erat Junoni sacrum, et quanquam multis simulacris ornatum nullo modo ab aeris injuria defendebatur (4). Itidem in Bœotia, ubi Cadmus Phœnicum colonias cum eorum institutis et religione constituisse fertur nonnulla templa omnino sine simulacris et tectis Pausanias viderat. Ἀλιάρτῳ δέ εἰσι ναοὶ, καί σφισιν οὐκ ἀγάλματα ἔνεστιν, οὐκ ὄροφος ἔπεστιν (5).

(1) Cf. Mém. de l'Acad. des inscriptions et belles-lettres. XXXIV. p. 242.

(2) Plin. II. 97. — (3) Corn. Tac. Hist. lib. II.

(4) Strab. XIII. p. 438.

(5) Pausan. IX. c. 33. Cf. Plut. Os. p. 639. — Clem. Alex. Strom. V.

At multo erunt huic quæstioni solvendæ adjumento hæc verba Tatiani viri admodum eruditi, et ut supra animadvertimus, in libris et annalibus barbarorum satis versati. Ille igitur de Judæorum antiquitate fuse disserens, hoc pacto Phœnicum scriptorum testimonia adhibet : « Post Chaldæos sic se habent « res Phœnicum. Exstiterunt apud eos tres viri, Theo« dotus, Hypsicrates, Mochus : horum libros in « græcam linguam convertit Lætus qui et vitas phi« losophorum accurate conscripsit. In his autem « historiis narratur sub quodam rege raptus Europæ, « Menelai in Ægyptum adventus, ac res etiam a « Chiramo gestæ qui filiam suam Salomoni Judæorum « regi in matrimonium dedit, ac omne lignorum ge« nus ad templi constructionem suppeditavit. Eadem « scribit Menander Pergamenus. Ac Chirami quidem « ætas Iliacis rebus vicina est : Salomon autem Chi« ramo æqualis multo recentior est Mosis ætate (1). »

Μετὰ δὲ τοὺς Χαλδαίους τὰ Φοινίκων οὕτως ἔχει. Γεγόνασιν παρ' αὐτοῖς τρεῖς ἄνδρες Θεόδοτος, Ὑψικράτης, Μῶχος· τούτων τὰς βίβλους εἰς Ἑλληνίδα φωνὴν Λαῖτος, ὁ καὶ τοὺς Βίους τῶν φιλοσόφων ἐπ' ἀκριβὲς πραγματευσάμενος ἐν δὲ ταῖς τῶν προειρημένων δηλοῦται ἱστορίαις, κατά τινα τῶν βασιλέων Εὐρώπης ἁρπαγὴν γεγονέναι, Μενελάου τε εἰς τὴν Φοινίκην ἄφιξις, καὶ τὰ περὶ Χείραμον, ὅστις Σολομῶνι τῷ Ἰουδαίων βασιλεῖ πρὸς γάμον δοὺς τὴν θυγατέρα, καὶ ξύλων παντοδαπῶν ὕλην εἰς τὴν τοῦ ναοῦ κατασκευὴν ἐδωρήσατο. Καὶ Μένανδρος δὲ ὁ Περγαμηνὸς περὶ τῶν αὐτῶν τὴν ἀναγραφὴν ἐποιήσατο. Τοῦ δὲ Χειράμου ὁ χρόνος ἤδη που τοῖς Ἰλιακοῖς ἐγγίζει.

(1) S. Just. op. Tat. ad gr. 273.

Σολομὼν δὲ ὁ κατὰ Χείραμον πολὺ κατώτερός ἐστι τοῦ Μωϋσέως ἡλικίας.

Hæc Tatiani verba, quam propius videntur esse fidem! Etenim Chirami nomen quod Tyriorum regi Tatianus imponit, Hebraicæ linguæ consonat; idem nec Salomonis literarum, nec Hirami ænigmatum, nec veterum Tyriæ gentis tabularum ullam omnino mentionem facit. Denique nullum verbum profert quod a sacra scriptura alienum sit, vel a cæterorum historicorum scriptis discrepet. Contra ab ipso Clemente Alexandrino sapienti et erudito viro Tatiani dicta confirmantur: Εἴραμος τὴν ἑαυτοῦ θυγατέρα Σολομῶνι δίδωσι, καθ' οὓς χρόνους μετὰ τὴν Τροίας ἅλωσιν Μεναλάου εἰς Φοινίκην ἄφιξις, ὥς φησι Μένανδρος ὁ Περγαμηνὸς καὶ Λαῖτος ἐν τοῖς Φοινικικοῖς (2).

Quid, si inde auguremur illum quem Josephus Menandrum Ephesium appellat, non Ephesium fuisse, at Pergamenum? Tatiano et Clementi assentimur. Quid, si Josephum arguamus, quæ ex Menandri libris mutuatus est, parum accurate ac sincere exscripsisse? quid si conjiciamus hunc historicum nusquam alibi memoratum Δῖον, scilicet, eumdem esse quem Λαῖτον Tatianus et Clemens Alexandrinus nominaverunt? (2) Nonne *omnis res est jam in vado,* ut Terentius ait.

Itaque hanc disputationem animo complexus universam, Josephum censeo ex corruptis fontibus hausisse quæ tam fidenter exposuit, et commentis undique

(1) B. Clem. Alex. Strom. I. c.

(2) Cf. Reinesius de lingua Punica. c. XII.

collatis hanc de Judæorum antiquitate dissertationem auxisse. Noster in manibus habuit, imo diligenter pervolvit omnes illos de rebus judiacis libros, qui sub nominibus commentitiis circumferebantur. Profecto novit Alexandrum Polyhistorem, Eupolemum, Philonem Demetriumque et cæteros omnes Judæos, fabularum artifices, et græca nomina mentitos; hos pernovit; hos magistros, amicos et quasi convictores accepit. Hinc culpandus quod ex his omnibus spuriis libris tam multa excerpsit, ea cum laude perhibuerit, in iisdem etiam referendis sibimet placuerit. Jam supervacaneum est amplius tam manifestum furem excutere. Mihi vero ad laboris metam jam festinanti hæc Marci Tullii ad Pætum dicta in mentem veniunt: « Te cum video omnis mihi Granios, « omnes Lucilios, vere ut dicam, Crassos quoque et « Lælios videre videor. Moriar si, præter te, quemquam « reliquum habeo in quo possim imaginem antiquæ « et vernaculæ festivitatis agnoscere. » Hoc eodem modo cum Josephum video, omnes mihi Eupolemos, omnis Berosos, omnis Clearchos, vere ut dicam Hecatæos et Polyhistores videre videor; quem ego præter neminem reliquum habeo, in quo possim imaginem judaicæ fraudis et fallaciæ agnoscere.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, pridie id. jul. ann. M DCCC XLIV,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

J.-Vict. LE CLERC.

Typis mandetur,

ROUSSELLE.

Studiorum inspector, procurandis Academiæ Parisiensis rebus præpositus.